
32
6 E
3





ITINERARIUM
HISTORICO-MORALE.

ITINERARIUM
HISTORICO-MORALE,
SEU
RESPONSA,
Quæ varijs in locis nominatis
itinerando

Tum oretenus, tum in scriptis

Cum Iuribus, & Doctoribus probata
dedit interrogantibus eum.

ADM. R. P. FR. CASSIANUS A S. ELIA
Carmelita Discalceatus Mediolanensis.

SVB AVSPICIIS
ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. AURELII MARIÆ
REZZONICI.

MEDIOLANI, MDCCXII.

Typis Iosephi Pandulphi Malatestæ.

ILL.ME DOMINE,



Ogitabam, quid denique meis adderem Itineribus publici iuris faciendis; eaque Nomini extemplo Tuo addixere tum mea, tum Meorum ardentiſſima vota, vt Te Duce in eorum Patrocinium inuocato metam ſibi pollicerentur tutiorem. Aſt quali id præſtarem auſu, anceps ferebar, ſi abſque prologo pudoris Tibi inſigniorum librorum ſtudioſiſſimo libellus hìc qualis qualis dirigeretur. Quid agerem conſilij egens, & auxilij? A Te ad Te fugiens quietis verticem, & gloriæ attigi, fugiens à Te erudito ad Te benignum. Æquo animo igitur, ac vultu Humanitatis, ideſt, Tuo hoc qualecumque obſequij mei vectigal Tuis non alienum ſtudijs excipe; & ſenilium vigiliarum mearum conatum potius,

quàm fructum, senex Tu inter iuuenes adhuc, foue. Tibi omnigenæ literaturæ dedito non abs re Itinerarium meum Historico-Morale dedicatum se sistit, & exultans inscribitur. Nemini id accidet mirum, qui præclaras Animi Tui dotes habuerit exploratas, quemque pars aliqua non lateat eius affectus, quo voluisti me Amicorum numero adscribi. Et tametsi in mea tenuitate, Tuâque Magnitudine æqualitas, Amicitiæ Mater, & Nutrix, haud quaquam se se offerret, id tamen Genij Tui bonitati referendum, vt æqualitatem, quam non inueneras, ipse faceres. Hoc etiam crescis modo, si Te ipse submittis. Hinc aliud à me impetrare non potui ad obseruantiæ meæ Anatema tibi præstandum, quàm munusculum istud solo dantis animo commendandum. Ipsi autem ingenitâ quadam formidine re fugo tetrica prius adimenda est verecundia, vt aliquod ex loculamentis sibi vindicare queat in efflorescente magis in dies lectissimorum voluminum supellectili: quæ nimirum à Te nullis parcente sumptibus vndecumque conquisita admirantes omnium oculos ad se se trahit; vtpotè quæ, & doctorem, & libros exhibet non minus ad spectaculum, quàm ad studium. Sic in Te peregrinis linguis prius, & geminâ Poesi exculto solidiorum deinde scientiarum lucet, & ardet Encyclopædia. Dono quodam Prouidentiæ genitus esse videris, vt

in

in te totas vires suas experiretur Eloquentia, & melle dulcior ab ore deflueret, quæ dicendi maiestas? quæ copia! quæ venustas! quæ Italicæ linguæ proprietas, & decus! vetus est illud, qualis vir talis oratio: Excellens ista, & expolita expoliti, & excellentis animi certissimum est indicium. Quisnam te limatius, atque subtilius Panegyricis floruit Orationibus? Si Tuus se simul exerat Plinius, nouissimus in ordine es, primus in meritis. In flore annorum vix sexto ætatis lustro exacto quot iam Cælitum solemnia condecorasti? Philippi Nerij potissimum, cui te addixisti, tertia iam vice, in meique Ordinis Templo eiusdem Protectoris Deiparæ Sponsi laudes extulisti laudatissimus ipse. Ambitioso concursu Suggestus omnes Te certatim efflagitant, suadentibus videlicet, & ingenij extemporanea vbertate, & gratuito labore. Referant Nouocomenses Prophetam in Patria suspicientes, quomodo de cruciatibus Christi seruatoris Quadragesimales instituerís conciones, vt nemo facilè ex auditoribus discederet nisi pectora emollita percutiens. Referant octiduanos sermones, quibus erga Animas flammis lustralibus examinatas misericordiæ munera extimulasti. Quid plura de lingua? nunc pauca de manu. Manus quidem alteri manui secreta, apud omnes tamen in comperto est, quanta in pauperculos liberalitate, quanta vtatur munificentia nubendis præcipuè

puè puellis ea vltro largiris subsidia, quæ non nisi erubescente voto essent tam crebrò optanda. Et hæc effluunt ex libero fonte Paternorum redditũum nullâ ipsis Ecclesiasticorum guttulâ admixtâ. Paratus semper, & obuius quotidianis supplicum negotijs facilem Te præbes, & commodum. Odio quippe prosequeris malam illam nobilitatem, quæ teste altero Aurelio, hoc est, Augustino, quæ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem. Te commendat humanissimi generis antiquitas Hierosolymitanos inter Equites cooptata, & ijs semper applicita munijs Nouocomensi in Vrbe, quæ Nobilitatem luculenter discriminant, & claris familijs connubiorum fœdere clara, & ipsa coniuncta, vt, velut fax faci addita, claritas vicissim augeretur, Testes integerrimi Ballarinus inter alios, & nouissimè Abbas Paradisi. Verùm enim vero Clara domus satis hæc nobilitate tua est, cum multa trahas ab antiquis meruisti placere de proprijs. Vnica immò nobilitas tibi videtur, vt inquit Nissenus, cũ Deo necessitudo. Pietas tibi in amoribus in delitijs Æternitati Te, Tuaque commendat omnibus admirandum Te præbes, nemini, nisi robustæ, ac masculæ virtutis imitandum. Prælucens exemplo vel virtutum semina inseris, vel in vitium detonas Animarum venator Deo lucra fecisti Hæreticorum potissimùm Catachesi, & Fori Sacramentalis frequen-

quentatione ad triplices Confeſſarij partes rite explendas. Immenſa Dei charitas haud diſparem Tuo inanimo charitatem hominum accendit, quæ nec ceſſare vnquam te, nec defatigari patiatur, hæc Te vbique ægris, vinctis, miſeris quaſi ſeruum addicit. Reconciliandis diſſidentibus, oppreſſis ſubleuandis, cæterisque pietatis officijs aſſiduam das operam. Benignus his, beneficus illis, omnibus charus. Grauitas, & Comitas, virtutes cæteroquin ſpecie diſpares, ita copulantur in vultu, geſtu, ſermone, conſuetudine, vt neutra quidquam de alterius vi detrahat. At tandem ratio habenda eſt Modeſtiæ Tuæ. Si lucem ipſam Tu, ſi quis alius, virtutis, & ſapientiæ amas, & ſequeris, vmbram tamen earum, laudem, & famam minime curas. Obſequar igitur, & ſiſtam ſuperni Numinis ſupplex vt Te quàm diutiſſimè ad ſui nominis gloriam tueatur incolumem.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs.

Humilimus, & Addictiſs. Seruus
F. Caſſianus à S. Elia
Carmel. Excalceat.

IE-

IESVS ✠ MARIA.

FR. BONAVENTVRA A S. FELICE
Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum
Discalceatorum, Congregationis S. Eliæ,
Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ
de Monte Carmelo, ac eiusdem
S. Montis Prior.

Tenore præsentium facultatem impertimur P. Fr. Cassiano à S. Elia Prouinciæ nostræ S. Angeli Longobardiæ Sacerdoti Professo, Typis mandandi Librum, cuius Titulus Itinerarium Istorico-Morale, *à duobus nostris Theologis recognitum, & approbatum, si ijs ad quos attinet ità videbitur. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Mediolani in Conuentu nostro S. Caroli die 23. Ianuarij* 1711.

*FR. BONAVENTVRA A S. FELICE
PRÆPOSITVS GENERALIS.*

Fr. Prosper à S. Io. Baptista Secretarius.

Man-

Mandante Reuerendiss. Patre Fr. Io. Baptista Pichi S.T.M., nec non Inquisitore Generali Mediolani librum vidi, cui titulus: Itinerarium Historico-Morale: *Auctore R.P.F.Cassiano à S. Elia Carmelita Excalceato, nihilque in eo inueni Catholicæ Fidei, bonisque moribus aduersans, immò vndequaque sana doctrina circumfusum eundem aduerti. Quare typis mandari posse existimo.*

Fr. Thomas Plantanida S.T.M. librorum Censor.

Stante prædicta attestatione.

IMPRIMATVR.

Frà Io. Baptista Pichi Inquisitor Mediolani &c.

Carolus Franciscus Curionus pro Eminentiss., & Reuerendiss. D.D. Cardinali Archiepiscopo Archinto.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiss. Senatu.

LE-

LECTORI.

NIl mirum Tibi accidat Lector beneuole contuens in isto, quem publici iuris facio libello quasdam Historiunculas ad trutinam moralem euocatas. Ast si forsitan miraberis, ego plus te miror de me, dum calamo permitto meo imprimendi cupidine estro assiduè vellicari. Optima sanè, amplectendaque vellicatio ingenia excitans, nec inertiæ somno sinens ea torpere. Memorare armatam dixisse Poetas Palladem Scholam aperientem Martiam Mineruæ simul non obseratam, & nouum non esse dices meum quoquè Itinerarium Historici Moralis nomenclaturam habere. Accipe illud, in quo intellectuali itinere hinc indè cursitans, plura intelliges facta, & hæc an licita. Sospes esto in æuum.



ITI-

ITINERARIVM
HISTORICO-MORALE.

INTERROGATIO I.

Intrans in Oratorium ad furandum per fenestram ex charta ab ipso effracta, an contrahat excommunicationem, & committat sacrilegium?



Ransiens ego per quoddam Oppidum propè Bolzanum accessi ad faciendum Sacrum in quodam Oratorio, quo mihi aperto inuentum est vacuum, furatis Calice, Patena, cæterisque Sacris Paramentis, ingresso fure per ab ipso fractam fenestram calce ad murum firmatam, sed factam ex charta varijs coloribus depicta. Furto isto euulgato in Ciuitate Tridenti, fui hic in Curia Celsissimi, & Reuerendissimi D. D. Joseph Victorij de Albertis Episcopi, & Principis interrogatus, quale iudicium de tali furto facerem, nempè an effractio dictæ fenestræ Oratorij afferat excommunicationem Papæ reseruatam *in cap. conquesti sunt, de senten. excom.* latam contra effringentes, & expoliantes Ecclesias?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Nolo longam in præsenti facere lectionem de diuersitate Oratoriorum, cùm notum sit aliqua esse sinè Episcopi facultate fundata, quæ dicuntur priuata, in quibus furari non est sacrilegium ratione loci loquendo; secùs si sint erecta cum Episcopi facultate, ac benedictione. Dato autem casu, quòd de aliquo

 Ora-

Oratorio nulla habeatur memoria, an Episcopali facultate fuerit factum, vel non, poterit id conijci, si habeat, vel non habeat campanile suprà tectum cum campana ad conuocandum populum prò Missæ auditione, nàm si habet, est signum fuisse cum benedictione Episcopi fundatum; secùs si huiusmodi signa non habet. Assero hinc esse sacrilegium aliquid furari, quod sit, ac spectet ad Oratorium authoritate Episcopi factum, non verò sic si Oratorium sit priuatum.

2 Non desunt aliqui asserentes esse furtum sacrilegum si in loco Sacro fiat etiam de re prophana, sed hæc opinio cum limitatione est intelligenda, scilicet dummodò talis res prophana sit in loco Sacro tamquàm sub illius potestate, vel ratione custodiæ, vel mutui, vel pignoris, vel depositi, non verò si sit ibi per accidens, proùt esset, si in Ecclesia quis furetur crumenam alicui, quia per talis crumenæ furtum, nulla specialis iniuria infertur loco Sacro per se, sicuti è contrà infertur furando rem ad locum Sacrum spectantem.

3 Rei Sacræ, v.g. Calicis, Patenæ furtum extrà locum Sacrum importat semper sacrilegij malitiam, & hoc communitèr tenetur.

4 Circà excommunicationem *dicti capituli conquesti sunt*, censeo ad illam contrahendam sufficere, si furtum fiat in loco Sacro cum fractione fenestræ ex charta, vel etiam ex vitro, supposita erectione Episcopali etiam alicuius Oratorij, quæ tamen censura non contraheretur per quamcunque effractionem Oratorij alicuius domus, immò etiam Oratorij alicuius Monasterij intrà Clausuram Regularium, nàm huiusmodi Oratoria sunt loca priuata.

Vt autem prædicta censura contrahatur requiritur tùm effractio, tùm furtum simùl, & tunc facta denunciatione solus Papa absoluit.

Quæ hactenùs dixi fusè traduntur à Doctoribus, & Iuribus, proùt omnia referam in scriptis.

Responsio latè scripta.

5 Furtum sacrilegum diuersimodè accipitur in Iure Ciuili, ac in Iure Canonico. Ius Ciuile duò copulatiuè requirit, vt furtum dica-

dicatur sacrilegum: *Vnum* est, quòd res furata sit Sacra; *Aliud* est, quòd de loco Sacro sit surrepta, ex quibus si vnum deficiat, simplex furtum in Iure Ciuili reputabitur, & vt tale punietur. Sic Iuli. Clar. *lib.* 5. *sententiar.* §. *Sacrilegium, num.* 1. Griland. *de diuers. crimin. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 5. & Bartol. *in l. Diui. num.* 1. *ff. ad leg. Iuliam*.

6 Nihilominus de consuetudine attenditur sacrilegium secundùm ius commune Canonicum, non autem ius Ciuile, & ideò furantes res Sacras vbiquè, vel quascunquè res notabiles tamen in loco Sacro, furca suspenduntur. Clarus *d.* §. *Sacrilegium, n.* 3. *vers. Sed quæro*. Gloss. *in cap. quisquis*, 17. *in ver. non Sacrum, quæst.* 4.

7 Cessante autem consuetudine, si solùm sit standum in pæna sacrilegij inducta per statutum laicale, intelligitur de sacrilegijs secundùm ius Ciuile; si verò sit statuta à Clericis, intelligitur secundùm ius Canonicum. Ità Clar. *d.* §. *Sacrilegium, in fin.*

8 Sacrilegus dicitur, & sacrilegium committit, qui rem Sacram violat, aut ei temerario ausu debitam denegat reuerentiam, vt omnes docent, & signantèr asserit D. Augustinus, quem ad hoc citat Turrecremata *in cap. Sacrilegium, vers. Ad primum*, 17. *quæst.* 4.

9 Sacrilegium de Iure Canonico propriè committitur, cùm *res Sacra de Sacro furatur*; siuè *res Sacra de non Sacro*; siuè *res non Sacra de loco Sacro*. Ità tradunt DD. *communitèr*, proùt tamen dixi *suprà, num.* 3.

10 Socinus *Reg.* 1. *Sacrilegi omnes*, ponit octo casus, in quibus sacrilegi sunt ipso iure excommunicati: *Primus* est, si committatur in personam Ecclesiasticam: *Secundus*, si in Ecclesia cum incendio: *Tertius*, si in Ecclesia cum violentia: *Quartus*, quandò bona Ecclesiarum rapiuntur cum violentia: *Quintus*, quandò in Ecclesia percutitur, vel capitur. *Sextus*, si sit lata sententia. *Septimus*, quandò vacante Ecclesia dissipantur eius bona. *Octauus*, in casu *capituli generali, de elect. in* 6. His casibus exceptis, non sunt ipso facto excommuuicati sacrilegi, sed sunt excommunicandi, vt dicit Cardin. Tusch. *lit. S. Conclus.* 6. *n.* 17.

11 Consentientes alienationi rei Ecclesiæ committunt sacrilegium, vt notat Lap. *allegat.* 66. *n.* 5. & habetur *in cap. omnes Ecclesiæ*, 17. *quæst.* 4. dummodò alienatio sit in loco prohibito,

& sinè causa, & necessitate. *l.* 1. & *ibi* Gloss. *de sepul. viol.*

12 Sacrilegium admittit, qui iurisdictionem laicalem contentiosam in loco Sacro exercet; & qui lapides Ecclesiarum Vrbis Romæ aufert; & qui celebrat in Ecclesia polluta. Carol. Anton. Thesaur. *de pæn. Eccl. part.* 2. *verb. Sacrilegium*, *fol.* mihi 312. vbi idem esse ait in auferendo ornamenta, ac Ecclesias spoliando.

13 Concubitus viri Christiani cum Infideli, Iudæa, Turca, Hæretica &c., importat malitiam sacrilegij, quia talis coniunctio est prohibita ab Ecclesia in honorem Christianismi. Ità Lessius *de iustit. & iur. lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 6. *n.* 45. & cum Lessio teneo, licèt aliqui asserant esse tantùm peccatum simplicis fornicationis cum circumstantia aggrauante, vt existimant intèr alios Franciſc. Syluius *in comment. ad* 2. 2. *D. Thomæ*, *quæst.* 154. *art.* 2. §. *Quæritur secundò*, Alcozer *in sum. cap.* 20. Fagund. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 14. & Tamburinus *Opusc.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. §. 4. *n.* 10. iudicat hanc sententiam esse probabilem.

Verùm sententia Lessij docetur etiam à Card. de Lugo *de Pæniten. disp.* 16. *sect.* 6. *n.* 333. à Leandro *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 10. *disp.* 8. §. 3. *quæst.* 7. à Naldo *in sum. verb. Fornicatio*, *n.* 2. & ab alijs, cum Candido *tom.* 2. *disquisit.* 24. *art.* 23. *dub.* 35. quia talis coniunctio est contrà Christianæ Religionis decus, adeoquè intèr impedimenta dirimentia matrimonium numeratur *Cultus disparitas*. Tamen hanc rationem non approbant, qui negant esse sacrilegium, dicunt enim non currere paritatem intèr coniunctionem matrimonialem prò tota vita; & intèr coniunctionem velùt furtiuam per fornicationem.

Nihilominùs censeo dictam paritatem manifestè currere, nàm quod ex sui natura est illicitum ex vno motiuo, semper est illicitum siuè semèl, ac transeuntèr fiat, siuè permanentèr; & sic dicendum idem erit de coniunctione cum Infideli permanentèr per matrimonium, ac de transeuntèr per fornicationem, in vtroquè enim casu datur *Cultus disparitas* cum dedecore Religionis. Notare oportet, quod sub vocabulo *Infidelis* in præsenti comprehenduntur omnes Fidem Catholicam non habentes, vt sunt Hæretici, Iudæi &c. & quod dicitur de copula, intelligitur quoquè de sodomia. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *Miscellan.* 4. *res.* 3.

14 Furari in loco Sacro quamcunquè rem etiam ibi per accidens existentem, & prophanam, semper importat malitiam sacri-

crilegij, vt volunt plures ducti ex verbis Ioannis Papæ *in cap. Quisquis 17. quæst. 4.* generatim dicentis, sacrilegium committi, auferendo *non Sacrum de Sacro*. Sic Layman *in Theolog. Moral. lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 18.* Francisc. Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 4. n. 7.* Rebel. *de oblig. iusti. part. 1. lib. 3. quæst. 15. n. 25.* & alij.

Cæterùm verior est opinio Soti *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* Ioannis à Cruce *in Director. conscien. part. 2. tract. de Sacram. Pæn. quæst. 3. dub. 6. concl. 1.* Fagundez *præcepto 2. lib. 4. cap. 4. n. 9. & 11.* & Lessij *de iusti. lib. 2. cap. 45. dub. 3. n. 14.* dicentium, tunc furtum rei factum in loco Sacro esse cum malitia sacrilegij, quandò talis res spectat aliquo iure ad Ecclesiam, vt vel quia est res Sacra, vel est ibi prò custodia, vel vt depositum, ac mutuum &c. nam solùm tunc specialis iniuria infertur Ecclesiæ; secùs si talis res esset ibi per accidens, vt v.g. si tapete esset ibi paratum prò Principe &c.

15 Quamuis Ioannes de Pegna existimet esse sacrilegium furari Clerico aliquid ab eo possessum iure Ecclesiastico; tamen contrarium tenet Pitigian. *in 4. senten. tom. 2. distinct. 17. quæst. vnic. n. 5. in circumstantia vbi.*

16 Conculcans, vel percutiens Sacram Imaginem est blasphemus in sententia Gyptij *de casib. reseruat. cap. 9. cas. 3. n. 8.* Sed tale peccatum esse sacrilegium iudico cum alijs penès Dianam *part. 10. tract. 14. Miscellan. 4. res. 70.* aliàs 68. *in fin.*

Furari in Oratorio cum effractione fenestræ ex charta, vel ex tela, an sit sacrilegium cum excommunicatione; & quandò detur effractio, vel non.

17 Oratorium vel est fundatum cum Episcopi facultate, vel tantùm ex priuata authoritate, atquè ideò diuersimodè loquendum est de primo, ac de secundo. Hinc certum est apud omnes Doctores, quòd si Episcopali facultate sit erectum, currit pari passu cum Ecclesia, sicque furari in eo est sacrilegium, siquidem est locus Sacer, qui speciali violatur iniuria. Si verò Oratorium sit priuatum, idest priuata authoritate fundatum, cùm non habeat rationem Ecclesiæ, consequentèr non erit sacrilegium furari in eo, & huiusmodi Oratorium censetur illud alicuius domus, necnon Altare, in quo celebratur existens in dormitorio alicuius

Con-

Conuentus, quamuis singulis noctibus aqua lustrali benedicatur à Superiore, quia reputatur tamquam Oratorium priuatum, in quo de licentia Episcopi celebretur. Ità Fagundez *precepto 2. lib. 4. cap. 4. n. 14. & 39.*

18 Si memoria non extet, an Oratorium sit Episcopi authoritate erectum, erit hoc conijciendum ex coniecturis, vt v. g. si habeat suprà tectum campanile cum publica campana, & ibi Missæ indifferenter omnibus audientibus celebrentur, nec Episcopus obstet, nàm in Oratorijs priuatis publica campana non permittitur iuxtà *cap. patentibus, de priuileg.* & *ibi* Abb. *num. 1.* Felin. *cap. de quarta, n. 12. de præscript.* Mascard. *de probation. conclus.* 869. *n. 3. & 4.* Syluest. *verb. Loca Religiosa, quæst. 3.* & Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt.* 132. *n.* 51. asserit, reputari Oratorium Episcopi authoritate constitutum, si per decennium fuerit in eo celebratum.

19 Ex prædictis constat, quandò furtum factum in aliquo Oratorió fit simùl sacrilegium; & quia per *cap. conquesti sunt, de senten. excom.* agitur de excommunicatione contrà effringentes, & expoliantes Ecclesiam, nunc venit examinandum, an sub ratione effractionis veniat fractio fenestræ ex tela, vel charta; & an ambò simùl requirantur, nempè tùm effractio, tùm furtum, vt dicta excommunicatio contrahatur, quæ Papæ sit reseruata? Et quòd ambò simùl debeant verificari, docent Panormit. *in cap. ex lit. de fur.* & Syluest. *in sum. verb. Furtum*, 7. & Rodr. *tom. 2. qq. Regular. quæst. 39. art. 2.* & idem procedit si frangantur armaria.

20 Est etiam notandum, quòd appellatione *effractionis*, non solùm intelligitur fractio securibus facta portæ, vel fenestræ ligneæ, seù alicuius muri suffossio, sed etiam quælibet violenta ingressio, quæ fiat frangendo fores, seù serraturam, aut vectes, aut cardines ostia dùm tenent firmata, aut murum, aut discooperiendo tectum. Ità tradunt Rodr. *vbi suprà*. Sayrus *de Censur. lib. 3. cap. 29. n. 17.*

21 Si autem loquamur de parante sibi ingressum ad furtum faciendum intrà Ecclesiam, seù Oratorium Episcopali authoritate factum per fractionem fenestræ vitreæ, censet expresse Sayrus *loc. citato* sufficere, vt excommunicatio contrahatur ab ibidem furante, quia etiam sic verificatur fuisse patratum fur-

tum

tum per violentam ingressionem.

Quòd si fractio fenestræ ex sola tela, seù quoquè ex charta fieret à fure, an importaret rationem effractionis vt suprà prohibitæ, nullibi dubium hoc excitatum legi, at ego affirmatiuè resoluo, & ducor authoritate Roderici *loc. cit.* asserentis dictam censuram incurri quandò quocunquè modo violento paratur à fure ingressus; sed fractio fenestræ ex quacunquè materia in casu nostro est actio violentiam importans; ergò &c. Probatur hoc ex sententia supradicta Sayri *loc. cit.* docentis sufficere fractionem fenestræ vitreæ; nàm tàm verificatur ratio effractionis vitri, quàm telæ, vel chartæ, & sic absolutè dici potest, immò & debet, furem expoliasse Ecclesiam cum effractione, & per consequens cum iniuria loci Sacri.

Confirmatur, quia fur effractor dicitur, & est ille, qui solo pede impingeret, & debilem vectem cedere faceret, seù si alio modo impellendo aperiet fur locum Sacrum ad ingrediendum; & ratio traditur à Syluestro *verb. Excommunicatio* 7. *n.* 17. §. 1. nempè quia Constitutio ista contrà effractores, & expoliatores Ecclesiarum, est in fauorem Ecclesiæ, ideò est latè interpretanda in dubio; ergò in casu nostro vocabulum effractio significat quamcumquè effractionem parantem ingressum ad furti patrationem in loco Sacro.

22 Aperiens Oratorium Sacrum, seù Ecclesiam cum claui contrafacta, aut adhibito instrumento violento, ac extraordinario, est verè effractor, & si furtum simùl faciat contrahit excommunicationem *supradicti cap. conquesti sunt*.

Nec iuuat in contrarium dicere, quòd aperire cum claui licèt contrafacta idem sit ac aperire *tamquàm* cum propria; sed per Nauarrum *in Manual. cap.* 27. *n.* 94. non est fur effractor; qui cum claui propria, & ad aperiendùm destinata, quamuis eam surripuerit, ac extorserit, aperit; ergò nec dicetur effractor adhibens clauem similem contrafactam; respondeo enim negando paritatem, quia dictio *tamquàm* significat impropri etatem, vt *in l. si pecunia*, *ff. si cert. petat.* & *in l. iubemus*, §. *sanè*, 2. notant Glossa *ver. Tamquam*, *in cap. solita*, & *ibi* Felin. *n.* 3. *de maiorat. & obedien.* Socin. *cons.* 1. incip. *In casu*, *n.* 4. *vers. nec videtur obstare*, *lib.* 1. Rebuff. *in Compend. alienationum*, *n.* 101. Mantica *de coniectur. vltim. volunt. lib.* 3. *tit.* 16. *n.* 3. & alij. Igitur si aperire cum claui

claui contrafacta est aperire *tamquàm* cum propria, sed modo improprio, per consequens erit quædam vera effractio.

Item nec obstat asserere, fractionem fenestræ ex tela, vel charta esse quid modicum, vel parùm, quod non nocet, & prò nihilo reputatur in Iure per *l. quamuis, ff. de condit. & demonstrat.* & per *cap. si proponente*, 42. vbi gloss. 1. *de rescript.* Tiraquell. *in l. si vmquàm, verb. Donatione largitus, n.* 107. *Cod. de reuocand. donat.* vndè de modico non est curandum, per *l. si oleum*, §. *fin.* cum *l. seq. ff. de dolo*, sicque per modicam, seù leuem culpam non contrahitur excommunicatio maior, vt tradunt DD. communitèr. Hæc inquam non obstant, quia modicum, & parùm non minùs attenduntur ac magnum, & multum, vbi eadem militat ratio, vt firmant Decius *in caput de appellationib. n.* 11. *& seqq. de appellat.* & Card. Tusch. *lit. M. Conclus.* 239. *n.* 39. cùm ergò in casu nostro æquali ratione fur paret sibi ingressum frangendo dictam fenestram ex sola charta, ac si esset lignea, nequit dici modica effractio formalitèr quoad intentum furis, licèt materialitèr perindè sit, esse modicam fractionem, non minùs ac si non multum, sed parùm fregisset murum.

Quandò furans in Ecclesia sit dicendus Ecclesiæ expoliator.

23 Communis est sententia Doctorum, quòd furans in Ecclesia dicatur illius expoliator, quamuis res furata non sit propria Ecclesiæ, sicuti esset ablatio rei, quæ solùm per modum depositi contineatur in illa. Ratio est, quia verba legis sunt intelligenda secundùm materiam, de qua loquuntur, etiam contrà propriam significationem, vt firmant Geminian. *conf.* 122. *n.* 3. *vers. Et facit*. Alexand. *conf.* 86. *col.* 2. *vers. Nec obstat*, & *vers. Si dicatur*, & Tusch. *lit. V. Conclus.* 91. *n.* 26. nam verba non intelliguntur secundùm propriam significationem, quandò subiecta materia aliud suadet. Exemplum sit de Papa, si referuet beneficia, quæ ad collationem Episcopi *pertinent*, licèt enim verbum *pertinent*, ex propria significatione importet proprietatem, tamen proptèr subiectam materiam conferendi, non intelligitur, quòd ad Episcopum *pertinent* tamquàm *propria* ipsius, per tradita à Calderino *conf.* 244. aliàs 23. *de Præbend.* ergò licèt verbum *expo-*

liare

liare de se supponat expoliatum debuisse possidere; nihilominus ex subiecta materia furandi, debet intelligi expoliatorem Oratorij Sacri, seù Ecclesiæ esse furem auferentem rem ab ea non propriam, sed aliqua ratione ad eam spectantem, vt v. g. apud ipsam depositatam, vel ipsi mutuatam &c.

Idem à pari probatur de Tabellario, qui plura non sua portans, si à furibus ista ab eo auferantur, dicitur ab illis expoliatus, & consequentèr expoliatores sunt ipsi fures surripientes rem non propriam illius, à quo ipsam surripiunt.

Notabilia circà excommunicationem contrà effringentes, & expoliantes Ecclesias.

24 Citaui *suprà sub n.* 1. excommunicationem *cap. conquesti sunt, de senten. excom.* contrà effringentes, & expoliantes Ecclesias; & *num.* 17. *& seqq.* explicui quid veniat nomine *effringentium*; & postea *num.* 23. declaraui quinam sint dicendi *expoliatores* Ecclesiarum, seù etiam Oratorij Sacri; nunc restat addendum quandò, ac qualitèr huiusmodi fures afficiantur excommunicatione, à qua quis possit absoluere.

Duò ponuntur *in dicto cap.* nempè *effractio*, quæ refertur ad Ecclesias; & *expoliatio*, quæ refertur ad res ablatas. Hinc non incidit in reseruatam absolutionem, nec est denunciandus excommunicatus quisquis vel solùm effringit Ecclesiam, seù Oratorium Sacrum, vel solùm furatur, sicque requiruntur ambò simùl, nempè effractio, & expoliatio. Ita post Panormitanum tenent S. Antoninus *3. part. tit.* 24. *cap.* 11. Caietanus *in sum. casu* 21. & Sayrus *de censur. lib. 3. cap.* 29. *n.* 17. vbi dicit per *d. cap.* non damnari etiam illum, qui ad Ecclesiam iuit animo effringendi, & expoliandi, sed non fregit, quia apertam, vel effractam reperit, adeoquè tantummodò expoliauit.

25 Est tamen notandum, quòd per dictum Canonem non excommunicantur effractores, & expoliatores Ecclesiarum, sed excommunicati supponuntur, nàm mandat eos denunciari, sicque denunciati non possunt absolui nisi à Papa, proùt colligitur *ex cap. Pastoralis, §. verùm, de appell.* & tradunt Rodriq. *qq. Regular. tom. 2. quæst.* 39. *art.* 2. & Sayr. *loc. cit. n.* 15. & ideò *n.* 16. docet, posse ab Episcopo absolui huiusmodi furem, antequàm

excommunicatus denuncietur; secùs post denunciationem: Igitur qui solùm res Sacras furatur, non autem frangit Ecclesiam, vel eius armaria non est excommunicatus. Sic Panormit. *in cap. ex lit. de fur.* & Syluest. *verb. Furtum* 7. penès Rodriq. *vbi suprà, in principio;* tamen est excommunicandus. *Cap. conquestus de foro competent.* Peyrin. *tom. 2. de Prælato, quæst. 3. & cap. omnes Ecclesiæ,* 17. *q.* 4. vbi etiam extenditur ad consentientes. Bordon. *tom.* I. *cons.* 47. *n.* 13,

INTERROGATIO II.

An Petrus licitè induxerit Paulum ad promissionem iuratam numquàm remittendi iniuriam, nisi ad instantiam eiusdem Petri; & qualitèr, ac quandò iniuriæ irrogentur, sintquè remittendæ.

IN loco dicto *Monsbellunæ* Diæcesis Taruisanæ fui interrogatus quid sit dicendum de Paulo grauitèr iniuriato à Francisco, qui Paulus rogatus à Petro, vt iniuriam remitteret, remittere noluit, propterea Petrus petijt à Paulo iuramentum, se nequè remissurum ad instantiam cuiuscunquè, præterquàm ipsius Petri, cui Paulus promissionem iuratam fecit, se sic facturum?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Respondi: Prima fronte videtur Petrum licitè induxisse Paulum ad tale iuramentum, quod & Paulus non illicitè præstiterit; & etiam non minùs prima facie videtur oppositum de vtroquè esse asserendum. Quòd Petrus licitè petierit iuramentum, potest suaderi, quia non ideò voluit, vt Paulus numquàm absolutè remitteret, ac semper in odio perseueraret, sed tantùm intendebat, vt remissionem quidèm faceret, intuitu tamen instantiæ solius Petri, cui nulla ratione in contrarium Paulus ductus (vt suppono) poterat petitionem etiam rei virtuosæ iure denegare.

2 Cæterùm Paulus iurans se non remissurum ad instantiam ali-

alicuius, nisi ipsiusmet Petri, illius iuramentum potuit esse tùm validum, & licitùm; tùm illicitum, & nullum. Igitur validum, licitum, immò & obligatorium fuit, si postea mutato animo volens remittere, remittet præsertim ex vi instantiæ ipsi a Petro factæ nulla alterius admissa instantia, vel ab alio non habita. Et quia Paulus poterat se solo, ac spontè, nullo ipsi instante remissionem præstare, propterea sic remittendo periurus non erit, nàm verè seruat quod iurauit, scilicèt non remittendi ad instantiam alicuius, nisi solius Petri, casu quo ad instantiam rogantis, vel suadentis remissionem, hanc facere voluerit. Certum quoquè est, Paulum teneri obseruare dictum iuramentum, quia promissio facta homini in huius fauorem, talitèr obligat, vt nequè in rem meliorem promissa possit a promittente commutari.

3 Licitum etiam fuit Pauli iuramentum de non remittendo iniuriam, si solùm intendebat, vt per viam iustitiæ iudicialitèr puniatur ipse iniustè iniuriam irrogans. E contrà verò si iurasset non dimittere ex motiuo odij, tunc inualidè iurasset, quia iniquum est in odio velle perseruare, & iuramentum numquàm potest esse vinculum iniquitatis, sicque etiam illicitum fuisset tale iuramentum.

Responsio latè scripta.

4 Quamuis promissio facta Deo possit in melius commutari, quia Deo magis semper placet quod melius est; tamen id non procedit in promissione facta homini, qui limitatè vult adimpleri sibi promissum, non curans quid melius recipere. Sanch. *Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 9. n. 19.* vbi cum Caietano *in Sum. verb. Periurium, cap. 3.* dicit, quòd cùm iuramentum factum homini sit correlatiuum ad illius vtilitatem, seruandum est, etiam si fiat motiuo humanæ amicitiæ, seù reuerentiæ, ac fidelitatis, ex quibus motiuis in casu supradicto Petrus petijt iuratam promissionem à Paulo, adeoquè iste tenetur implere iuxta tradita *suprà, n. 1. & seq.*

5 Et per hoc præcisè, quòd Petrus petierit iuramentum à Paulo de non rimittendo, nisi ob instantiam eiusdem Petri, nihil exigitum apparet contrà bonos mores siuè spirituales, siuè naturales, siuè ciuiles, quorum aliquis si daretur, vim nullam iuramen-

ramentum haberet, per *Regulam, non est obligatorium, de Reg. Iur. in 6.* dummodò in eis reperiatur culpa saltem venialis, quam Petrus inducens Paulum ad iurandum, vt in nostro casu, non admisit, quia volebat, vt remissio iniuriæ daretur à Paulo, sed tali modo, nempè ob instantiam ipsius Petri, nihil iustè obstante (vt supponitur) quod Paulum retrahat à concessione remissionis à Petro exigitæ. Hinc quemadmodùm à Petro in sensu dicto potuit iuramentum exigi, sic & Paulus potuit validè, & licitè iuramentum præstare, neuter enim illorum nolitionem remissionis habuit; quam si habuissent, totum nullitèr, & illicitè fecissent.

Qualitèr, ac quandò iniuria irrogetur, sitque remittenda, atquè ob eam sit restituendum.

6 Cauendum est nè quis putet se iniuriatum, cùm reuerà nullà iniuria afficiatur. Ille autem verè iniuriam patitur, cuius ius læditur, quia iniuria definitur communitèr à DD. *alieni iuris violatio.*

7 Multiplicitèr sumitur iniuria, scilicèt *re*, *verbis*, & *litteris*. Iniuria fit *re*, quotiès iniustè manus infertur: *Verbis* fit, quandò conuitium profertur tùm præsente, tùm absente ipso iniuriato: *Litteris* fit, cùm quis librum, vel carmen, vel historiam pertinentem ad infamiam alicuius scripsit, vel composuit, vel edidit &c. nec refert, quòd talia proprio, vel alieno nomine præstentur; & idem est, si dicta scripta, vel impressa vendantur, vel ementur. Sic latè Hostiens. *Sum. lib. 5. de iniurijs, & damno dato, n. 3.*

8 Nec solùm afficitur iniuria ille, in quem personalitèr cadit, sed intelligitur quoquè iniuriatus quisquis est de eius casata. Tiraquell. *de pænis temporan. causa 51. n. 68.* vbi expresè tradit, quòd iniuria facta vni de domo, intelligitur facta toti consanguinitati, & toti casatæ; & hoc procedit etiam in ordine ad iuridicam actionem, quæ datur penes mediatè iniuria affectum, tanquàm penes immediatè iniuriatum.

Hinc non censetur iniuriatus filius naturalis per hoc, quòd iniuria afficiatur eius frater filius legitimus, nam in casata non comprehenduntur naturales, nec horum filij. Peregrin. *de fidei-*

com.

com. art. 22. *n.* 83. Tiraquel. *in tract. de nobilitate, cap.* 15. *n.* 12. & Ruin. *conf.* 161. *lib.* 4. *n.* 2. quia casata sumitur prò agnatione, & de ista non dicuntur qui sunt naturales. Riminald. Iunior *conf.* 442. *n.* 3. & *conf.* 563. *n.* 31. Menoch. *conf.* 117. *n.* 52. Cardinal. Mantica *de coniectur. vltim. volunt. lib.* 8. *tit.* 1. *n.* 20. & alij; & idem à fortiori dicendum est de spurijs per Peregrin. *d. art.* 22. *n.* 83. *in fine.*

Notandum tamen est, dari aliqua loca, in quibus ex particulari, & notoria consuetudine naturales dicuntur de casata, vt est in Hispania secundùm Azeued. *conf.* 24. *n.* 27. *&* 29. & Nicolaum Garciam, quos citat Rota *in vna Pampilonen. Capellaniæ 4. Martij* 1622. *coràm Remboldo.*

9 Etiam fæminæ dicuntur de casata, nisi alitèr de illis exprefsè, vel ex coniecturis dispositum sit, atquè ideò & ipsæ afficiuntur iniurià alicui de eius casata irrogatà. Honded. *conf.* 56. *lib.* 31. *lib.* 2. & alij penes ipsum, & Fusar. *de substit.* 360. *quæst. num.* 9.

10 Iniuriam potest facere ille, qui & potest pati.

11 Fallit tamen hæc regula in furiosis, & infantibus doli incapacibus; isti enim iniuriam alicui inferre nequeunt, eam tamen pati possunt, quia iniuria fieri potest etiam nescienti.

12 Qui verò iniuriam alteri facit, debet hoc scire, propterea qui alterum ignorantèr lædit, non tenetur de iniuria. Hostiens. *in sum. lib.* 5. *tit. de iniur. & damno dato n.* 2. & *n.* 5. §. *Non solùm*, notat quandò per seruos fiat iniuria.

13 *Et* §. *Sed & per vxores*, dicit maritos affici iniurià per vxores.

14 Secùs è contrà.

15 Certum est, quòd qui verè fuerit iniurià affectus, poterit in iudicio agere, habens actionem contrà eum, qui fecit iniuriam.

16 Et in eum, qui iniuriauit, ac mandauit iniuriam fieri. Ità Hostiens. *loc. cit. n.* 6.

17 In tribus potest iniuria consistere: *Primò*, in bonis animæ, seù spiritualibus: *Secundò*, in bonis corporis: *Tertiò*, in bonis fortunæ; vndè læsus in aliquo ex istis, habet actionem contrà lædentem, quæ actio est duplex, vna *vindicatiua*, altera *compensatiua*: Ista exercetur per viam iustitiæ; illa est interdicta, quatenùs

tenùs non licet illam à se, ac propria authoritate exercere, vt notat glossa *in l. 1. ff. de indignis*. Cald. Perei. *qq. forens. seù receptar. senten. cons. 35. n. 33.* at si aliquandò poterit quis per se talem actionem exercere, intelligitur Iure mediante. Seraphin. *de priuil. iuram. priuil.* 74. *n.* 51.

18 Læsus per iniuriam non est semper obligatus vindictam expetere etiam Iure mediante; propterea tenendum est, quòd nisi bonum publicum aliud postulet, meliùs est prò Dei amore ignoscere, quàm vlcisci; immò prò acceptis iniurijs numquàm licet odium nutrire, & malum in vindictam lædenti facere, aut desiderare, nàm si quis talitèr se gerit, incapacem Sacramentalis absolutionis se reddit. DD. *communitèr*.

19 In bonis spiritualibus, & animæ tunc aliquis iniuriosè læditur, quandò iniustè damnificatur aliquo ex quinquè sequentibus modis.

Primus est, si malo exemplo, vel malo consilio sit inductus ad peccandum, vel ad aliquid sibi damnosum.

Secundus est, si retrahatur à volitione ingrediendi Religionem, vel profitendi in ea post ingressum, nulla extante iusta causa sic retrahendi.

Tertius est, si subtrahatur Magistro, Aduocato, & similibus, cum illorum damno.

Quartus est, infatuando illum in memoria, vel intellectu, vt scientiam, vel artem perdat.

Quintus est, detrahendo famæ, honori, ac laudi illius, aut talia audiendo de illo cum approbatione ipsius audientis.

Ad hos quinquè modos possunt reduci quicunquè alij modi iniuriosè damnificandi aliquem in bonis animæ, ac spiritualibus; expedit tamen aliqua hìc notare prò pleniori intelligentia.

20 Quoad *primum* modum dico, quòd si quis citra vim, vel fraudem malo exemplo induxit aliquem ad peccandum, non tenetur ex iustitia ad aliquam restitutionem, quia volenti, & consentienti non fit iniuria. *Cap. volenti, de regul. iur. in 6.* oppositum tamen est dicendum, si cum vi, metu, ac fraude induxerit. Nauarr. *Summ. latin. cap.* 14. *n.* 45. Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 2. n.* 1. Soto *lib. 4. de iusti. quæst. 6. art. 3. ad* 1. Syluest. *Sum. verb. Restitutio 3. quæst.* & alij. Verùm tenent alij, quod absolutè teneatur restituere, quia læsio spiritualis est potior temporali. Sic Ta-

biena

biena *verb. Restitutio, quæst.* 10. Caietan. *verb. Restitutio, cap.* 7. D. Antonin. 2. *part. tit.* 2. *cap.* 2. §. 1.

Sed quidquid sit de veritate vtriusquè allegatæ sententiæ quoad obligationem restituendi ex iustitia, ego censeo teneri omninò ex Charitate, prò viribus retrahere à peccato, ita quòd qui sinit se sinè vi, ac fraude inducti ad peccatum ob malum alterius exemplum, non debeat se reputare iniuria affectum, nequè iniuriosè læsum. Et quod dico de dante malum exemplum, non concedo de suggerente malum consilium, quia iste verè est causa damni sequuti, atquè ideò in obligationem incurrit restituendi, vt omnes docent, quia damnificato iniustè iniuriam intulit.

Limitandum tamen est, quod mox dixi de dante malum consilium, quia si v.g. Confessarius, vel Aduocatus putabant malum consilium non dare, nec damnum sequuturum præuidebant, non fuit per iniuriam damnificatus ille, qui sic damnum patitur, vndè dicti non tenentur ex iustitia damnum resarcire, ac alitèr consulere, si iam suo officio sint functi, & cessauerunt esse Confessarius, vel Aduocatus; tamen si adhùc perseuerant in officio, tenentur ex sola Charitate, vt tradit Nauarra *lib.*2.*de restit.cap.*2. *n.*2. & idem sentit Caiet. *verb. Restitutio, cap.*7. & hoc admittit etiam Syluester *eodem verbo* 3. *quæst.* 1.

21 Quoad *secundum* modum dico, quòd qui impedit nè quis ingrediatur Religionem, aut post ingressum nè profiteatur, tenetur iniuriam resarcire, si vi, vel fraude impediat nè perseueret in Monasterio talis professus vtilis Religioni in temporalibus, v.g. legendo, vel laborando, & hanc iniuriam remittere non potest ipse extractus, cùm per professionem omne ius pecuniæ compensabile transtulerit in Monasterium, vt asserit Sanch. *in Decal. lib.*7. & quòd tale damnum sit resarciendum docent Soto *vbi suprà*, & Nauarra *loc. cit. n.*21. cum alijs recentioribus, & hæc restitutionis obligatio est ex iustitia; at hæc obligatio cessàret, si non fuerit extractus professus per vim, vel fraudem, & quamuis ille ad Religionem nolit reuerti.

22 Quoad *tertium* modum dico, quòd subtrahens Magistro scholasticos suos absquè fraude, ac sinè vi, non tenetur aliquid ex iustitia restituere, quia volenti, & consentienti non fit iniuria; secùs est dicendum, si vi, ac fraude subtrahat, quia sic iniuriam, & nocumentùm infert tùm Magistro, tùm discipulis, siuè isti

sint

sint actu audientes, siuè sint audituri, licèt quandò sint tantùm audituri non tanta restitutio sit facienda. Syluest. *verb. Restitutio 3. quæst. 1. dicto 2. & 3.* Videatur D. Antonin. *2. part. tit. 2. cap. 2. §. 1.*

Sed Nauarrus *in sum. cap. 25. n. 57.* vult quòd absolutè teneatur restituere, quandò cum damno notabili Magistri, & Audientium istos quis subtrahit, & hoc procedit tùm de damno ratione lucri cessantis, tùm ob honoris iacturam. Retrahere autem discipulos sinè vi, nec cum fraude à Mastistro non est peccatum, si fiat consulens propriæ vtilitati, cùm & ipse sit Magister; vel consulens vtilitati alterius Magistri; vel vtilitati discipulorum, quia isti sunt vagi, nisi sint addicti, seù obligati alicui Magistro, qui habeat ius in eos, nè ab ipso discedant; nam tunc retrahens, & sinentes se retrahere peccarent grauitèr ob notabile damnum, & ob iniuriam læsiuam honoris, & lucri à præceptore amissi. Sic D. Antoninus *vbi suprà*. Nauarrus *loc. cit.* Armilla *verb. Magister, num. 1.* & Caietan. *verb. Magistrorum peccata.*

Idem dicendum est de retrahente litigantes ab Aduocato, necnon ementes à Mercatore, & alios quoscunquè ab Officialibus, vel ab officinis, seù apothecis, quas frequentabant, vel frequentare, aut adire volebant.

23 Quoad *quartum* modum dico, aliquem iniuriari in bonis naturalibus intrinsecis, vt si infatuetur in intellectu, in memoria &c. & ideò idem dicendum est ac de iniuriam afficiente incorporalibus, & consquentèr iniuriosè damnificans tenetur ex iustitia, vt dicam *infrà, n. 25.*

Hinc plures casus referuntur à Doctoribus, qui ex iustitia important obligationem resarciendi iniuriam illatam, damnumque ex eis sequutum.

Sic docens falsam doctrinam tenetur ex iustitia reuocare edoctum ab errore, quia iniuriam ei irrogauit decipiendo. Caietan. *verb. Restitutio, cap. 7. in fin.* Syluest. *eod. verb. 3. quæst. 1.* & Nauarr. *in sum. cap. 14. n. vlt.*

Item tenetur ex iustitia docere, qui ex officio habet discipulos, vel famulos ad artem ediscendam acceptos, & damna illis sequuta ex negligentia Magistri resarcire. Nauarra *de Restitut. lib. 2. cap. 2. n. 3.* & Ledesma *2. 4. quæst. 18. art. 2. dub. 1.*

Item

Item docens falſum in ſpeculabilibus cum damno notabili. Caiet. *in ſum. verb. Contentio*; & iuxtà grauitatem mendacij erit mortale peccatum. Idem *ibid.*

Item qui ſtipendium accipit ab aliquo, vt ei nuncia ſcribat, quæ de die in diem ſuccedunt, tenetur ex officio veritatem dicere, alias iniuriam faceret domino falſa nuncia ſcribens. Nauarra *loc. cit. n.* 7. Et licèt nemini iniuriam faciat ille qui cùm officium non habeat, nouitates falſas ſcribit, ſeù ſeminet, nihilominùs ſi indè ſequatur damnum, tenetur reuocare, & reſarcire.

Item qui in propria arte ſcit aliquid ſingulare, quod non vult docere niſi filijs, nemini iniuriam facit, nequè deficit in iuſtitia, vel charitate, niſi ars illa eſſet ſic Reipublicæ neceſſaria, & alia via ſuccurri non poſſet. Nauarra *vbi ſuprà, n.* 4. & 5.

24 Quoad *quintum* modum dico doceri paſſim à Doctoribus, eſſe famam reſtituendam, & non eſſe abſoluendum lædentem, niſi priùs reſtituat, vel ſaltem reſtituere promittat, ità vt Confeſſarius de hoc certus remaneat; nàm grauem facit iniuriam proximo ille, qui ei grauem infamiam infert, leuem verò ſi leuitèr lædit.

Qui autem audit alium etiam grauitèr detrahentem, ſeù iniuriantem, non irrogat iniuriam iniuriato, ſi nè iniurietur non impedit ex verecundia, vel ex leui timore, aut ex alia minùs ſufficienti cauſa, dummodò non approbet, nequè detrahendi ſit cauſa, ideò vt in plurimùm dicti audientes peccant tantùm venialitèr. Armilla *verb. Detractio, n.* 3. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 4. Sotus *de iuſti. lib.* 5. *quæſt.* 10. *art.* 4. & alij, cum limitatione tamen, niſi ex odio audiatur, vel niſi ipſe audiens teneatur ex officio iniuriantem compeſcere, vel niſi detrahenti annuat, aut alitèr detractionem cauſet, ſeù ad eam inducat, vel niſi ex audita detractione videat damnum notabile alicui imminere.

25 Circà iniurias, ac damna in corpus proximi, certum eſt teneri ad reſtitutionem eum, qui illorum eſt cauſa; tamen ad huius aſſerti intelligentiam ſunt neceſſariò nat anda, quæ ſequuntur.

Si aliquis alium mutilet, occidat, verberet, alapa percutiat, in facie deformet, vel alia ſimilia in corpus proximi iniurioſè præſtet, non eſt de neceſſitate, vt reſtituat prò damno naturali, nempè prò vita ablata, prò membro dempto, prò vulnere in-

flicto, prò alapa &c. sed satis est restituere prò damnis indè sequutis. Sic colligitur ex *l. ex hac, ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur*; & ex *l. liber homo, ff. ad leg. Aquil.* & ex *l. finali, ff. de his, qui deiec. vel effud.* & ita tenent gloss. *in d. l. ex hac, vers. non recipiat.* & *ibi* Albericus *gloss. cap. 1. de iniur. vers. operas*. Hostiens. *Sum. tit. de damno dato, n. 5.* Azo. *Sum. tit. ad leg. Aquil.* Aymo *cons.* 119. *n.* 5. & Angles *in Florib. 2. p. quæst. de restit. bonorum corporis, dub. 4. fol.* mihi 334. cum alijs. Ratiò prò hac opinione est, quia vita hominis liberi, ac eius corporis membra non sunt pretio æstimabilia, & pecunia, est pretium rerum eiusdem ordinis pretio æstimabilium; vndè quia v. g. honor non est in eodem ordine cum rebus, per consequens compensari nequit pecunijs, nequè lædens tenetur honorem proprium exponere, vt honorem læsi compenset, seù restituat.

Nihilominùs alij oppositum docent, & volunt esse restituendum etiam prò vita ablata, prò membro dempto, prò deformitate inflicta &c. Ita sentiunt D. Thom. 2. 2. *quæst. 62. art. 2. ad* 1. Sot. *lib. 4. de iusti. quæst. 6. art. 3. ad 3.* Mercad. *lib. 6. de contract. cap. 6.* Armilla *verb. Restitutio, n.* 21. Angles *eod. verbo* 1. §. *Homicida*, & alij.

26 Expensæ funeris ipsius occisi non veniunt in restitutione facienda ab homicida, quia tempore mortis naturalis erant faciendæ, nisi prò mortis acceleratione debuerint maiores esse, tunc enim excessus est compensandus. Nauarra *lib. 4. de restit. cap. 1. n. 73.*

27 Lucrum cessans non est restituendum in toto, sed tantùm ad valorem spei de consequendo ipso. Mercado *loc. cit.* D. Thom. *vbi suprà*, & alij, quia minùs valet res lucranda ratione periculorum perdendi eam, quàm valeat si iam sit lucrata.

28 Si ob homicidium, vel iniuriam ab aliquo illatam damnetur innocens, seù damnificetur, lædens tenebitur restituere ipsi expensas factas prò curatione, prò lucro cessante, ac prò morte. Immò tenentur restituere hæredes ipsius lædentis decessi restitutione ab eo non facta; & si bona homicidæ fuerint publicata, spectabit ad Fiscum damna, & alia debita soluere. *l. in summa, ff. de iure Fisci.* Iul. Clar. *pract. crim.* §. *Homicidium, vers. Tenetur etiam.* Bertrand. *cons.* 117. *lib.* 8. Non tamen facienda est restitutio prò damnis ex homicidio, vel ex alia iniuria hæredibus occisi,

cisi, vel iniuriati, quandò certò constat dictos hæredes non acceptaturos, & quod remittunt; & hoc contingit in nobilibus, qui dedignantur, & offenduntur si quis eis velit compensare expensas prò curatione vulneris &c. Salon. 2. 2. *quæst. 62. art. 2. controuersia* 4. & Mercad. *vbi suprà*, §. *Finalem*.

Dictus Salon. *ibid. controuer.* 7. notat, non teneri hæredes lædentis veniam petere, quam petere debuisset defunctus, quia hoc est personale non transiens ad hæredes, sicuti transiret, si esset reale.

29 Quamuis remissio facta lædenti à læso valeat etiam cum damno filiorum, qui non habentes aliundè alimenta talis remissio fuerit cum peccato remittentis; tamen non valebit prò foro externo, nisi exprimatur; nam remittens nè decedat cum odio, non propterea extinguit obligationem externam in eo, cui remittit. Sic Bartolus, Alexander, Felinus, Iason, quos citat, & sequitur Couarruuias 2. *var. cap.* 10. *n.* 7.

Si autem remissio fiat simplicitèr quoad forum externum, intelligitur de pœna, non de damnis, nisi & ista exprimantur, quia ex iniuria oritur duplex obligatio, seù actio, vna ad pœnam, alia ad damna, ad expensas, & ad interesse, ideò sublata vna, remanet alia. Ità Ancharan. & Panormit. *cap.* 1. *de iniur. n.* 7. Speculator *tit. de accusatore*, §. 1. *vers. Quid si vulneratus*, *n.* 8. Gloss. *cap. Si Canonici*, *de offi. Ordin. in 6.*

30 Circà iniurias illatas proximo in bonis fortunæ notant Doctores communitèr posse aliquem teneri eas resarcire, quamuis irrogatas non à se ipso, sed ab eius seruo, vel ab eius animali. Hinc si alicuius animal pessundet alterius segetes cum damno domini, cum culpa tamen illius cuius est animal, læsus habet actionem noxalem contrà dominum animalis; si verò fuerit sinè eius culpa, competit læso actio pauperiei, quæ *pauperies est damnum datum sinè iniuria*, cùm nequeat dici, quòd animal iniuriam faciat, vtpotè ratione carens. *l.* 1. §. *Ait Prætor*, *ff. de Pauper.*

31 Ad quid verò teneatur dominus animalis (idem est de domino serui) ratione damni illati, dicitur in Iure vt sequitur: Quandò seruus, vel animal damnificant cum culpa domini, iste tenetur in toto de damno illato; si autem sinè culpa, tenetur vel damnum resarcire, vel seruum, aut animal dare. De seruo ità habetur *Instit. de noxal. action.* §. 1. & *l. si seruus*, *C. de noxal. action.*

& *l. 2. ff. de noxal.* De animalibus ità habetur *cap. finali, de iniur. & damno dato.* & *Instit. si quadrupes pauper. fecisse dicatur*, §. 1. & *l. 1. ff. eod. tit.* §. 1.

At vt dictus dominus teneatur requiritur, quòd sub suo dominio adhùc teneat seruum, ac animal, propterea si hoc est mortuum antè litis contestationem, vel fugit, & idem est de seruo, cùm non sint de præsenti sub dominio prædicti domini, contrà istum læsus non habet actionem, vt notat Hostiensis *in sum. lib. 5. tit. de pauperie, n. 5.* sed hoc procedit in casu nullius culpæ domini, in quo casu an in foro conscientiæ teneatur, sicuti certum est teneri si culpam habuit, censent aliqui prædictas leges non habere locum in foro animæ. Ità Rosella *verb. Restitutio 13. n. 15.* Vega *lib. 1. Summæ, casu 213.* Angles *in Florib. 2. part. de Restit.* & alij.

Verùm probabilior sententia est, dominum teneri dare animal, vel seruum, aut damnum resarcire antè Iudicis sententiam tanquàm obligatum in conscientia, siuè damnum sinè culpa, siuè cum culpa sit illatum. Sic docent Syluest. *verb. Restitutio 3. q. 4.* Angelus *eod. verbo 1. §. Lædens proximum.* Panormit. *cap. Si bos, n. 1.* & *cap. finali, num. 3. de iniurijs, & damno dato.* Speculator *part. 4. tit. de iniur. §. 2. n. 12.* & alij.

Cæterùm læsus ab animali quamuis possit illud retinere, donèc sciat dominum eius, vt contrà eum agat, tamen non potest illud tenere titulo pignoris donèc ei satisfiat. Bartolus apud Syluest. *loc. cit.* Rosella *verb. Restitutio 13. n. 9.* & Panormit. *in cap. si læserit, de iniur. in fin.*

32 Vxores, quarum mariti in ludos, & meretrices consumunt de bonis acquisitis constante matrimonio, non possunt se læsas prætendere, vt cum alijs bonis proprijs mariti eis damnum compensetur, quia sic praxis habet; & ità docent Nauarrus *in Summa latina, cap. 17. n. 155.* Burgos de Paz Iunior *quæst. 8. Ciuil. n. 29.* & alij; tamen in rigore Iuris contraria opinio est probabilior, quam tenent Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 1. à n. 15.* & Corduba *Sum. quæst. 125. dicto 6.* affirmantes, posse vxores in dato casu sibi occultè compensare.

33 Potest aliquis iniuria affici, eò quòd lædatur in aliquo suo iure iuxtà leges municipales, & consuetudines locorum, proùt in facti contingentia facile erit dignoscere, & etiam quan-

quandò resarcienda erit, attentis prædictis.

34 Dominus alicuius Oppidi si damnum notabile faciat in pascuis, vel in syluis communibus, tenebitur restituere non minùs ac quilibet priuatus læsionem iniuriosè alijs illatam. Sic notat Molina *de iusti. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 59. *conclus.* 5. nec liberatur ab obligatione restituendi per hoc, quòd remissionem obtineat, nisi verè omnimoda libertate, non autem ob metum, vel aliquem alium respectum, fuerit ei concessa. Emman. *tom.* 2. *cap.* 20. *num.* 1.

INTERROGATIO III.



De consecrante in prandio panem, nè satellites accedant.

TRansiens ego per quamdam Villam propè Asculum in Picæno, narratus mihi fuit casus vix credibilis de quodam Sacerdote ibi Capellano, apud quem degebat eius frater contumax iustitiæ. Ambò dicti Fratres ad mensam cum alijs sedentes, & prandentes in agro, viderunt omnes aduenire satellites, certè vt contumacem reum carcerarent; quapropter vt carcerationem impediret fratris sui, dictus Capellanus ex improuisa voluntate, ac ex metus impetu consecrationis verba protulit super partem panis, iussitque omnibus adstantibus, & audientibus, vt genuflexi Eucharistiæ Sacramentum confectum adorent, quod statim reuerentèr facientes, videntesque à satellitibus in reum irrui, vt captum ad carcerem traherent, conabantur id impedire, prætendentes cum dicto Capellano, quòd reus hìc esset in loco immuni, vbi Eucharistia erat; nihilominùs satellites captiuarunt reum, & ad fori laicalis carceres duxerunt; quarè Capellanus accepto consecrato pane, comitantibus qui aderant, illum ad Parochialem Ecclesiam tulit, & intrà tabernaculum posuit. Igitur narrato mihi hoc casu sequuto pridiè mei transitus per dictam Villam, fui interrogatus quid sentirem prò vtroquè foro?

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Respondi. Non censeo posse Capellanum excusari à culpa mortali, nec à sacrilegio. *Primò*, quia contrà vsum Ecclesiæ Latinæ consecrauit more Græcorum in pane fermentato, non autem in azymo, & sic in re grauissima deliquit. *Secundò*, quia sinè vestibus Sacris,& non suprà Altare saltèm portatili consecrauit. *Tertiò*, quia suprà mensam prophanam consecrans, magnam irreuerentiam sacrilegam Sacramento Eucharistiæ irrogauit, quarè etiam de Hæresi se ad minùs grauitèr suspectum reddidit. *Quartò*, quia actionem, magni scandali fecit; quæ omnia nulla ratione, seù motiuo etiam liberandi fratrem, vel seipsum à morte, proùt in casu isto, poterant licitari.

2 De satellibus iudico nullam immunitatem violasse, quia potuerunt sibi persuadere, talem consecrationem fuisse fictam. Item, quia cùm lex immunitatis sit positiua, non censetur comprehendere talem locum, nec extendi ad adeò rarum, & inexcogitatum vsum, Iura enim clamant, *Leges non aptari insolitis*, vt constat ex *l. nam ad ea, ff. de leg.*

3 Igitur assero Capellanum (si plena deliberatione aduertit, quid illicitè faciebat) mortalitèr peccasse, & sacrilegium admisisse, & esse denunciandum vtpotè de Hæresi suspectum, & totum hunc casum spectare ad Iudicem Ecclesiasticum, quia est de materia spirituali. Si verò dictus Capellanus in illa mentis turbatione per primum metus motum verè indeliberatè verba consecrationis super partem panis protulit, non plenam aduertentiam habens quàm malè agebat, poterit in foro animæ excusari, non tamen in foro fori.

Responsio latè scripta.

4 Facta suppositione, quòd præfatus Capellanus verè consecrauerit, sicque in eo loco Eucharistia verè præsens fuerit, an per talem præsentiam locus reddatur immunis, aliqui affirmant, alij negant. Et quidèm locum immunitate gaudentem esse cubiculum etiam sæcularium, in quo Sanctissimum Christi corpus adest delatum infirmo, dicit Suarez *de Religione, tom. 1. tract. 2. lib. 3.*

lib. 3. cap. 9. n. 10. Ratio est, quia ideò Ecclesia fruitur immunitate, quia est dicata Deo maximè contento in Eucharistiæ Sacramento; ergò multò magis debet immunitas concedi ipsimet Sacramento vbicunquè aderit; propterea docent Peregrinus *de immunit. Eccles. cap.4. n.19.* & Marius Italia *de immunit. lib. 1. cap.4. §. 10. n.* 8. gaudere immunitate reum ratione Venerabilis huius Sacramenti quandò processionalitèr defertur, & ipse intèr populum illud comitantem vadit; & tali immunitate à fortiori gaudebit ipse reus tangens Sacerdotem manibus gestantem Eucharistiam, & hæc opinio est communis, & non neganda videtur, quia nimia irreuerentia esset ipsi Deo, si delatus a Sacerdote, quem reus tangit, aliquis violentèr vellet illum à Sacerdote separare. Ità docent Archidiac. & Turrecremata *cap. quæsitum, 13. quæst. 2. n.* 2. Hostiensis cum pluribus alijs, quos refert, & sequitur Syluester *verb. Immunitas 3. quæst.* 1. D. Antonin. *3. part. tit. 12. cap. 13. §.* 1. Segura *l. quemadmodum, ff. de acquir. possess. n.* 70. Mirand. *de ordine iudici. tom.* 1. *quæst.* 15. *art.* 4. *conclus.* 2. Gambacurt. *de immunit. lib.4. cap.6. n.4.* Graffi. *in decis. part. 2. lib. 1. cap. 1. num.* 32. Megala *in 3. part. lib.4. cap.2. quæst.* 1. *n.*38. Bobadilla *tom.* 1. *lib.2. cap.14. num.* 86. Ambrosin. *de immunit. cap.* 1. *n.* 9. & alij. Igitur iuxtà tot Doctorum sententiam, si Capellanus in casu nostro verè consecrauerat, locus ille erat immunis, in quo satellites reum capere non poterant, tùm ratione præsentis Eucharistiæ; tùm quia intèr alios eam adorabat; tùm quia fortassè, fratrem suum Capellanum tangebat, dum in manibus sacratum panem tenebat.

5 Contrariam sententiam docent Couarru. *lib.2. variar. cap.20. num.6.* Gloss. *cap. quæsitum 13. quæst. 2. n. 2.* Bonac. *de legib. disp. 3. quæst.8. §.2. num.* 11. Barb. & Cardinalis, quorum opinio fauet satellitibus Iudicis laici, & ideò Iudex Ecclesiasticus deberet (vt opinor) in prudentis suæ considerationis trutina ponderare, an Deo magis faueat contra laici fori ministros procedendo in præsenti casu primam sententiam sequendo; an verò iuxtà secundam à satellitibus laicis factum permittendo.

6 Nunc quærendo an illi Capellano afferenti se verè consecrasse panem fermentatum eo modo vndequaquè illicito, sit danda fides, puto affirmatiuè, accepto tamen ab eo iuramento, quod sit loco torturæ. Ducor, quia confessio proprio ore facta a reo

contrà

contrà seipsum, plenè probat in ijs, quæ pendent à voluntate confitentis. Antoni. Monach. *Bononiens. decis. dec.* 21. *n.* 8. & *decis.* 55. *n.* 25. Ioseph Sesse *Aragon. decis. dec.* 125. *n.* 3. Gam. *Lusit. decis. decis.* 165. *num.* 2. Rota *decis.* 436. *num.* 2. *apud Farinac. part.* 1. *recent.*

7 Est quoquè credendum Capellano, vt periculum euitetur contemnendi Sacramentum, fide in hoc casu ipsi denegata, præsertim est ipsi credendum tamquàm delinquenti, & delictum suum confitenti, confessio enim huiusmodi est probatio omnibus melior, & efficacior, quæ fieri possit, per tradita *cap. per tuas, de probat.* & *cap. si cautio, de fide instrum.* & *l. cùm à matre, C. de reuendicat.* & *l. cùm te, de probat.* Hypol. *sing.* 201. *n.* 2. & *sing.* 257. & *in Rubr. C. de probation. n.* 81, & 82.

8 Item, quia confessio dicitur, & est clarior probatio, quæ possit consequi. Alexand. *cons.* 13. *Ex ijs, quæ, in princip. lib.* 1. & rursùs *cons.* 213. *n.* 15. *lib.* 2. Angel. Aretin. *cons.* 48. *Videtur primò, n.* 3. Paris. *cons.* 103. *n.* 10. *lib.* 3. & Bald. *cons.* 195. *lib.* 2. Ideò vbi est partis confessio, ibi est omnis probationis relaxatio. Bald. *cons.* 353. *col.* 1. *lib.* 3. & Riminaldus Iunior *cons.* 303. *n.* 3. *lib.* 1.

9 Tantaque est vis dictæ confessionis, vt ista vincat probationes, quæ fierent per testes, & instrumentum, nam confessio est fortior probatio, & omnibus maior. Roland. à Valle *cons.* 71. *n.* 41. & *cons.* 75. *num.* 24. *vol.* 2. Bald. *cons.* 192. *Proponitur, col.* 2. *circà finem, lib.* 2. & Mascard. *de probation. in proœm. quæst.* 7. *n.* 3. quapropter confessio semper admittitur, vbi aliæ probationes non admitterentur. Surd. *cons.* 60. *nu.* 1. & *cons.* 143. *nu.* 39. confessio enim facit rem esse notoriam. Farinac. *in praxi crimin. quæst.* 21. *n.* 31. Stephan. Gratian. *discept. forens. tom.* 5 *cap.* 142. *n.* 9. & 10. Cardos. *in praxi Iudicum, verb. Confessio iudicialis, n.* 36. & Mascard. *de probat. conclus.* 1326. *n.* 4.

10 Et cùm confessio faciat rem esse notoriam, vt mox dixi, non est opus veritatem à præscriptionibus inuestigare, quia præsumptio cessat in claris. Anton. Monach. *Florent. decis. dec.* 51. *n.* 49. siquidèm certè veritas præualet præsumptioni, vt habetur *l. fin. in princip. ff. quod metus causa.* & *l. in rebus, C. de iure dotium.* Menoch. *cons.* 86. *num.* 106. Socin. *cons.* 164. *num.* 10. *volum.* 2.

Ex prædictis concluditur posse Iudicem Ecclesiasticum pronunciare sententiam condemnationis præfati Sacerdotis tanquàm

quàm verè rei de facto adeò illicito, & sacrilego, habita eiusdem tàm constanti confessione.

An etiam ex præsumptionibus in casu nostro remaneat prò veritate saltèm adminiculata confessio facta à reo?

11 Duas in nostro casu dari video præsumptiones, vna est prò fictione, alia prò veritate consecrationis. Ad præsumendam fictionem facit, quòd Sacerdos nunquam intendit consecrare, nisi modo, & tempore ab Ecclesia præscriptis, idest cum Sacris vestibus, in azymo, & in Altari Missam celebrando, & ideò in dato casu præsumi potest voluisse Sacerdotem fingere consecrationem, vt satellites in præsentia asserti Sacramenti fratrem suum non carcerarent decepti. Ista tamen præsumptio debilior est præsumptione commissi delicti ab eo, cuius commodo cedit, proùt sinè controuersia tenent communitèr Iurisperiti, intèr quos Menoch. *de præsumptionib. l. 5. præsumptione 31. num. 15.* Bartol. *in l. fin. n. 5. vers. Item quòd illa res subtracta, ff. de quæst.* Surd. *de aliment. tit. 9. quæst. 26. num.* 119. Farinac. *in praxi crimin. quæst.* 176. *n.* 89. & *cons.* 60. *n.* 18. & Mascard. *de probat. conclus.* 831. *n.* 12. In commodum autem Fratris certè cedit, quòd incommodum non habeat eius frater, vel alius de familia, maximè in criminalibus.

12 Cùm igitur fundamentum præsumendi fictionem in casu nostro sit, quòd modus consecrandi fuerit adeò illicitus, semperque ab intentione Sacerdotum communissimè alienus: Fundamentum verò præsumendi veritatem delicti cum sit de Iure, quod vult præsumi commissum delictum ab illo, cuius commodo cedit, per tradita supra a Iurisperitis in hoc numero relatis, debilior dignoscitur præsumptio prò fictione, præsumptione statuta à Iure prò veritate, quæ propterea est fortior, & ista tollit debiliorem, ex *l. non solùm, ff. de ritu nupt.* Surdus *cons. 94. n. 61.* & *cons. 112. n. 73.* & *cons. 311. n. 79.* & *cons. 535. n. 5.* Menoch. *de præsumptionib. lib. 1. præsumpt. 30. & seq.* & *lib. 6. præsumpt. 64. num. 46.* & *cons. 22. n. 22.* & Stephan. Gratian. *discept. forens. tom. 4. cap. 611. n. 33.* & *cap. 650. n. 33.* & *cap. 657. n. 33.* sequitur esse concludendum in foro fori, quòd tùm ex clara confessione, tùm ex præ-

sumptione, quòd verè Capellanus prædictus panem ad mensam consecrauit, illicitè tamen, necnon sacrilegè, & quidem cum Hæresis suspicione ratione abusus Sacramenti, & irreuerentiæ ergà illud; sed an in Sanctæ Inquisitionis Tribunali sit torturandus de leui, vel de vehementi, & secretè, vel publicè attentis circumstantijs, meum non est iudicare, id enim Hæreticæ prauitatis Inquisitor faciet.

13 Suspicio de Hæresi in nostro casu strictiùs probaretur, si Capellanus primam retractans confessionem iudicialem, assereret, se fictè consecrare voluisse, vel si ab initio hoc idem semper dixisset; nàm sic adstantes inducere voluisset ad Idololatriam formalem adorationis panis non consecrati, quantùm est ex parte sua, licèt ex parte adorantium eum putatum consecratum esset Idololatria solummodò materialis, ad quam inducere numquàm est licitum ex verissima sententia Doctorum omnium.

An ex aliquo motiuo possit Capellanus in præsenti casu excusari.

14 Videtur excusandus dictus Capellanus stante vrgenti necessitate liberandi fratrem nè captiuetur, vtpotè reum delicti capitalis, necessitas enim legi non subiacet, sed lex necessitati; vndè dicitur, quòd *necessitas non habet legem*, prout clarè constat ex *leg. Tutor, qui repertorium, ff. administr. tutor.* & ex *l. aliquandò, ff. de offic. Prouens.* & ex *l. 1. C. de operib. liber.* & ex *cap. licèt, de ferijs.* & ex *cap. 5. in fin. de consuetud.* & tradunt Iason in *l. si ex toto, ff. de legat.* & Ancharan. *cons. 191. In auxilium veritatis, n. 4. & 5.* & *cons. 243. n. 4.* Non ergò in tanta necessitate dici debet Capellanus ipse legum violator, quæ modum, & formam præscribunt celebrandi.

15 Item excusandus videtur quamuis in fraudem videatur verè, vel fictè consecrasse; nàm certum in Iure est, non dici factum in fraudem, quod fit ob necessitatem, vt firmat Gozadinus *cons. 87. n. 15.* penès Flamin. Paris. *de resignationib. Benef. tom. 1. lib. 2. quæst. 3. n. 40.*

16 Nihilominùs dicendum est, quòd per nullum textum allegatum Capellanus excusandus est, quia quamuis dicant, *necessitatem carere lege*, tamen in nullo comprehenduntur insolita, & inau-

inaudita, vt bene notant etiam in simili Boer. *decis.* 143. *num.* 11. *vers. Quod facit*. Schrad. *de feud. part.* 6. *c.* 3. *n.* 28. Mart. *de clausul. part.* 1. *clausula* 239. alias 252. *n.* 2. penès Barbosam *de Clausul. clausula* 137. *n.* 3. & sanè insolitus, & inauditus est casus noster, adeoquè non comprehenditur in lege: *Necessitas non habet legem*, quarè excusari nequit præfatus Capellanus.

17 Confirmationem contrà Capellanum, quòd necessitatem excusantem se tanquàm propriam vtpotè fratris allegare nequeat in isto casu, facit clarus textus *leg. Fideiussor*, §. *si necessaria*, *ff. qui satisd. cog.* dicens, quòd qui à principio volens posuit se in necessitate consequenti, dicitur voluntariè facere; igitur frater Capellani ab initio volens delictum, ex quo necessitas consequitur satisfaciendi iustitiæ fori, dicetur voluntariè, non ex necessitate facere in nostro casu tùm reus, tùm Capellanus eius frater, & sic non datur hìc necessitas, quæ aliqualitèr possit vtrisquè suffragari. Vide adhùc *infrà*, *n.* 19.

An Satellites captiuantes reum in nostro casu legem aliquam immunitatis violauerint.

18 Etiamsi admittatur sententia, quam *suprà*, *num.* 4. retuli cum Doctoribus asserentibus locum immunem esse, vbi Eucharistia adest, adhùc censeo potuisse satellites in casu nostro reum captiuare sinè immunitatis violatione; nam leges loquentes de immunitate non lædenda, loquuntur de quibusdam puris casibus, adeòquè huiusmodi leges non comprehendunt casum qualificatum, teste Cardinali de Luca *de Seru. discurs.* 82. *n.* 6. casus autem valdè qualificatus apertè, & conuincentèr probatur prædictus; attentis, & inspectis circumstantijs tùm carentiæ loci, vestium, temporis, materiæ debitæ azymi panis &c. tùm reuerentiæ Sacramento in actu prandij; non ergò ipsi fauere potest immunitatis seruandæ lex, quia in illa non comprehenditur, & hoc roboratur, quia *leges non aptantur insolitis*, vt dixi etiam *suprà*, *num.* 2. *&* 16.

Appendix.

19 Quamuis nec nominandum putem, quod dixit Maior *in 4. senten. dist. 9. quæst. 3. art.* 5. tamen necessarium censeo illud referre, vt semper ab omnibus reijciatur, sicùt à Doctoribus communitèr non approbatur, videlicèt posse Sacerdotem post meridiem clanculùm intrare Ecclesiam, & Hostiam consecrare non vestitum vestibus sacris, & si Hostiam non inuenerit posse consecrare frustulum panis communis, si priùs deuitet scandalum populi, velùt admonendo eum id sibi tunc licere, quia viaticum moribundo dare debet, nè sinè illo decedat. In hac sua opinione non est audiendus Maior, ac propterea nec est aliquo modo fauorabilis Capellano nostri casus, qui sinè Sacris vestibus panem communem consecrauit, & præsertìm quia id fecit extrà Ecclesiam, intrà quam tamen ipse Maior dicit esse consecrandum; ergò &c.

INTERROGATIO IV.

An ægrotus erubescens grauia sua crimina ore fateri Confessario facie ad faciem ad lectum accedenti, possit ea scribere, scripturamquè eidem mittere, vt posteà adueniens absoluat, & an validè absoluet, quamuis non benè scripturam intellexerit, nec verbum aliquod ægrotus dixerit.

IN meo itinere Goritiam versùs, ingressus sum Hospitium apud Aquas Gradatas, in quo reperi Reuerendum quemdam Confessarium, à quo interrogatus fui, quid mihi videretur resoluendum, si verecundus infirmus scribat peccata sua, scripturamque istam mittat Confessario absenti, qui tamen non benè intellexit scripta, & nihilominùs accedens ad lectum infirmi ipsum nihil dicentem, quamuis loqui posset, absoluit.

Respon-

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Respondi: In isto casu vnica responsio dari non potest, varia enim continet singularitèr enucleanda.

Primò, quia iste pænitens ægrotus, vt verecundiam euitet, scripsit peccata, & tamen Confessio debet esse verecunda; nihilominus dico, hanc qualitatem non inualidare Confessionem, licèt aliquis eam non habeat, sicuti plures peccatores dantur, qui nedùm Confessario, sed & coràm alijs absquè verecundia publicarent, immò interdùm (extrà tamen Confessionem) de enormitèr factis palàm gloriantur, seque de rebus pessimis iactant; & tamen isti validam faciunt confessionem, si sit *fidelis*, *dolens*, *& integra*.

2 *Secundò*, potest in dicto casu dari dubium, an per solam schedulam missam Confessario absenti pænitentis peccata continentem possit posteà a Confessario præsente absolui, quamuis iste nihil dicat, cum possit loqui; & censeo quòd non, quia confessio debet fieri Confessario præsenti, vt seruetur Decretum Clementis VIII. contrarium prohibentis, sufficiet tamen si dicat: *Confiteor peccata tibi per meam schedulam expressa*; seù si similia proferat verba. Si verò pænitens in mortis articulo loqui non poterit, & Confessario constet confessionem petijsse, poterit in præsentia absoluere ratione necessitatis, qualis à nonnullis Authoribus dicitur etiam magnus pudor pænitentis, qui præsertìm poterit absolui si pectus percutiat; aut si Confessarius dicat, à peccatis mihi à te in schedula tua expressis nunc volo te absoluere.

3 *Tertiò*, dato quòd Confessarius non benè intellexerit scripta peccata, inualidè absolueret, & ideò si pænitens hoc nouerit, confessionem repetere tenebitur; secùs quandiù inualiditatem ignorauerit, supposito quòd ex parte sua omnia integerè scripserit, quarè tota culpa erit in Confessario sciente se non benè intellexisse scripturam; at à culpa excusaretur, & validè absolueret, si putet rectè omnia intellexisse, & ab omnibus iuxtà mentem pænitentis in schedula expressis asmplè intendat absoluere; & paritèr excusandus esset, si à pænitente in mortis articulo loqui non valente, declarationem non intellec-

tellectorum habere non possit, & ideò illum ab omnibus peccatis benè absoluit.

Responsio latè scripta.

4 Doctores assignantes qualitates, cum quibus Confessio est facienda, eas in quatuor sequentibus carminibus assignant:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atquè frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Istæ conditiones non sunt tamen singulæ necessariæ ad validam, & licitam confessionem, vt docent Doctores communitèr, qui necessarias assignant *fidelitatem, dolorem, & integritatem*, atquè ideò si deficiat v. g. frequentia, ac verecundia non inualidatur, nec fit illicita. Potuit igitur in casu nostro ægrotus vitare verecundiam exponendo peccata sua in schedula Confessario exhibita, vt ea legat, & sciat, vt posteà adueniens præsentem pœnitentem absoluat; sed qualitèr id fieri liceat, vt etiam valida sit confessio, statim subdo *numero sequenti*. Quòd autem non omnes qualitates supradictæ necessariò requirantur ad validitatem confessionis, patet ex praxi, certum est enim validas esse confessiones eorum, qui non solùm frequentèr peccata sua non confitentur, sed etiam per multos annos, & quidem cum defectu verecundiæ, vt notaui *suprà, num.* 1.

5 De confessione facta per schedulam diuersimodè opinantur Doctores, distinguentes an fiat in casu necessitatis, vel extrà talem casum. Hinc Fagundez *in quinquè præcepta Ecclesiæ, præcepto* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 8. ait, quòd extrà necessitatem confessio semper est facienda ore, adeoquè peccaret mortalitèr, & confessionem faceret inualidam ille, qui cùm possit ore confiteri, adhiberet nutus, interpretem, signa, scripturam &c. Ratio ipsius est, quia si non fiat ore, mutatur consuetudo Ecclesiæ in re graui. Idem docet Syluius *in additione ad 3. part. quæst. 9. art. 3. conclus.* 2.

Verùm Villalob. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 31. tenet, quod si extra necessitatem fiat confessio coràm Confessario per schedulam ipsi datam, vt in ea legat peccata pœnitentis præsentis, esset

esset tantùm graue peccatum veniale, quia fieret quidèm contrà vsum Ecclesiæ, at hæc non esset contrarietas tanta, vt grauitatem mortalem importet: Si verò cum rationabili causa fieret, nullum esset peccatum. Ita Villalobos, & Malder. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *n.* 9. Coninchus, & alij. Immò ipse Fagundez *loc. cit.* idem tenet prò casu rationabilis causæ.

Prædictam sententiam Villalobos tenet Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. teste Diana *part.* 3. *tract.* 4. *res.* 126. alias 127. per hæ verba: *Si quis magnum pudorem sentiret, si proprio ore confiteretur peccata, non peccaret mortaliter, si per scriptum confiteretur præsente Sacerdote, quia consuetudo proprio ore confitendi, non obligat tàm grauitèr in hoc casu*. En qualitèr magnus pudor pænitentis est causa rationabilis faciendi confessionem per scripturam, dummodò Confessarius sit præsens, & absoluat, vt seruetur Clementis VIII. Decretum prohibens duò, nempè & quòd confessio possit fieri absenti, & quòd Confessarius possit absoluere absentem, vt aduertit Pasqualigus *in Theolog. tom.* 2. *disp.* 82. *sect.* 8. *num.* 42.

6 Cæterùm Cardin. de Lugo *de Sacramen. Pænitent. disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 72. cum Leandro dicit, Clementem VIII. in dicto Decreto loqui tantùm de confessione strictà, non autem de minùs strictà, & in vniuersaliori acceptatione, & sic alitèr discurrendum est in casu necessitatis, ac extrà talem casum; propterea si moribundus absolutionem petijt per confessionem factam Confessario absenti per nuncium, vel per scripturam, postea præsenti Confessario nihil possit dicere, vtpotè sensibus destitutus, poterit validè, & licitè absolui, nec sic erit contrà Decretum Clementis VIII. quia talis confessio facta à pænitente per testes, seù per scriptum, non est confessio strictè, sed magis vniuersalitèr sumpta, quæ in defectum rigorosæ confessionis, de qua loquitur dictum Decretum acceptatur ad proferendam sententiam absolutionis. Ità De Lugo *loc. cit.* sed *sect.* 1. *n.* 85. cui adhæret Bonacina *tom.* 3. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *puncto* 33. asserens etiam, sic Romæ à multis iudicatum fuisse; & hæc sententia procedit prò casu necessitatis.

7 Si verò extrà casum necessitatis pænitens per scripturam exposuit sua peccata Confessario absenti, vel etiam præsenti, à quo vt in eius præsentia possit absolui, necessè est, quòd pænitens

tens aliquo modo significet Confessario præsenti se intendere confiteri, ac se accusare de peccatis suis, quæ in data ipsi schedula integrè exposuit, & quæ à Confessario lecta rectè intellexit, à quibus si absoluit, validè, & licitè facit, quia tùm confessio, tùm absolutio in præsentia fiunt, vt vult Decretum. Dixi necesse esse, quòd pænitens aliquo modo notificet Confessario præsenti se accusare in ordine ad habendam absolutionem de peccatis scriptis, quia sola exhibitio schedulæ cum peccatis, est actus indifferens, adeoquè debet Confessario constare, quòd tunc ipsi præsenti præsens fit confessio vt vult Clemens VIII.

Dixi etiam, quòd Confessarius scripta peccata *rectè intellexit*; nàm si ea non rectè intellexit, certè inualidè, & illicitè, si hoc sciat, absolueret, & consquentèr pænitens quandò hanc non rectam intelligentiam Confessarij nouerit, tenebitur confessionem repetere; debebat enim Confessarius pænitenti notificare, se non benè intellexisse scripturam, cùm de necessitate sit, vt peccata à Confessario intelligantur, aliàs idem esset acsì dormienti Confessario quis peccata sua confiteretur. Potest quoquè contingere, non rectè Confessarium schedulam intellexisse, quatenùs de facto vnum prò alio intellexit, putans se rectè intellexisse, & in isto casu bona fide validè absoluet, si intentionem habeat absoluendi pænitentem ab omnibus proùt iste in schedula intendit sincerè peccata sua scripsisse, quæ putat à Confessario rectè percepta fuisse; quarè cùm sinè culpa pænitentis contingat sic absolui, valida, & proficua est eius confessio, quemadmodùm proficuam, & validam Alloza *in Summa, verb. Absolutio, sect.* 1. *n.* 4. ex Layman dicit esse confessionem pænitentis sinè huius culpa factam Confessario, qui proptèr distractionem, vel somnum omnia peccata non audiuit.

Alij tamen asserunt, dictum pænitentem sinè sua culpa sic absolutum à non auditis, nec perceptis, dici absolutum indirectè ab illis solis propterea repetendis, quia clauibus non fuerunt subiecta. Si autem mala fide apud dictum Confessarium confessionem fecisset, tunc peccasset, & inualidam absolutionem recepisset. Ità Tamburin. *in Methodo expeditæ confessionis, lib.* 2. *cap.* 10. §. 3. *num.* 52. & De Lugo *de Pœniten. disp.* 10. *sect.* 15. *à num.* 606.

Deniquè addo, quòd si pænitens post confessionem aduertat Con-

Confessarium non percepisse aliqua, sed nescit quænam, tenetur omnia repetere, quia de singulis potest dubitare non fuisse rectè audita, immò & nullo modo percepta. Tamburin. *loc. cit. num.* 53.

INTERROGATIO V.

An pecunia data danti hominem ad triremes, possit ab accipiente ea sibi retineri, vel an debeatur dicto homini.

Bergomi tempore nundinarum accessit quidam necessitate pressus ad colonum, istumque rogauit, vt si prò suo laboratore vellet illum acceptare, nihil ab eo exigebat nisi sufficientia alimenta, angustumque aliquem locum in eius domo ad habitandum. Annuit colonus, qui post aliquot dies existens in foro vidit ibi Capitaneum à Principe deputatum ad colligendum homines, si quos inuenisset, qui spontè se darent ad in triremibus seruiendum, data eis certa pecuniarum summa. Petijt colonus à Capitaneo præfato, an vellet habere quemdam, quem in domo tenebat, & affirmatiuè respondit. Reuersus domum colonus notificat laboratori suo inuentam prò ipso alimentorum occasionem in triremibus, si sic ipsi placuerit. Hanc acceptauit laborator, quem statim colonus Capitaneo consignauit, qui eidem colono quinquaginta scuta dedit. Interrogatus fui, an pecunia data sinè alia expressione dicto colono possit ab isto retineri, vel ad laboratorem spectet?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Respondi: Puto certum esse, non posse colonum pecuniam in dicto casu acceptam sibi retinere, sed teneri eam dare ei, qui se ad triremes tradebat, quia licèt Capitaneus non expresserit, cui eam dabat, tacitè intendebat dare eam ei, quem ad seruiendum in triremibus emebat, quæ Capitanei intentio clarè constat, eò quia hominem acceptauit tamquàm ex officio deputatus ad colligendum aliquos prò triremibus, dans singulis pecuniam, ità etiam isti dare voluisse censendum est, si non expresè, faltem

tèm tacitè, & in Iure, *taciti, & expressi eadem est ratio, ac iur.*

2 Item existimo dictam pecuniam fuisse datam in manibus coloni, vt illam daret homini exhibito ad triremes, non autem vt eam sibi retineret, nàm nullus titulus adest in colono iudicandi illam sibi datam: *Primò*, non titulo emptionis, quia de huiusmodi contractu cum Capitaneo non fuit mentio facta, immò nec fieri poterat cùm colonus non esset dominus serui, quem vendere posset. *Secundò*, non titulo, vt vulgò dicitur, *di mancia*, proptèr oblationem, quam fecit de homine, siquidem Capitaneus talem titulum nunquàm expressit, proùt exprimi necesse erat; nequè talis titulus potest dici tacitè intentus, eò ipso, quòd non aliquid singulare fuit ei datum, sed integram pecuniam solitam dari cuicunquè se prò seruitio in triremibus offerenti accepit; ergò intentio Capitanei erat mediante colono dare solutionem debitam homini, sicùt & alijs, quos prò triremibus congregabat.

3 Vltimò addo, quòd cùm colonus simplici interrogatione petierit à congregante homines casu in platea obuiam habito, an velit habere vnum, accepit responsum affirmatiuum; quarè facta postea propositione à colono laboratori suo de occasione inuenta prouidendi propriæ necessitati habendi ad viuendum in triremibus si spontè acceptet se in illis consignare, libentèr occasionem acceptauit, qua acceptatione notificata Capitaneo, iste statim communem omnibus, ac singulis se ad triremes dantibus solutionem exbursauit in manibus præfati coloni; igitur manifestè apparet, mentem Capitanei fuisse dare pecunias colono tamquam delatori, vt eas daret viro se ad triremes offerenti, non autem vt earum partem, & à fortiori nec totam prò seipso retineret.

Responsio latè scripta.

4 Quòd solutio pecuniæ in præsenti casu facta à congregante homines prò seruiendo in triremibus facta sit, licèt mediante alio, vt detur ei, qui ad remigandum se tradit, clarè probatur per textum *l. eius, de operib. libert.* vbi dicitur, quòd quilibèt actus regulatur secundùm naturam sui subiecti; quarè cùm traditio sui ipsius ad triremes per acceptationem Capitanei congregantis viros prò illis, fit subiectum talis actus, quod de sui natura exigit solu-

ſolutionem datam ipſimet ſe tradenti; per conſequens concluditur in caſu noſtro totam pecuniam, nequè ex parte fuiſſe datam prò colono, qui mediator præcisè ſe habuit, & per accidens interuenit.

5 Quòd ſi actus traditionis ſui ipſius ad triremes in caſu noſtro dicatur dubius, an voluerit laborator coloni ad triremes ire ſinè ſolita ſolutione ſe tradentium ſpontè ad remigandum, reſoluendum eſt eſſe actum talem, vt ſit minùs damnoſus, & plùs vtilis gerenti, quàm eſſe poſſit, quia iſta eſt naturalis intentio gerentis actum, vt reſoluunt Crauet. *conſ.* 14. *n.* 8. & *conſ.* 106. *n.* 8. & Rota *deciſ.* 596. *n.* 4. *apud Farinacium, part.* 2. *recent.* dicentes eſſe ſic interpretandum, & intelligendum actum dubium; vndè dato, ſed non conceſſo, quòd ſolutio facta in manibus coloni fuerit per actum dubium, an debeatur iſti, vel ei, quem Capitaneus recipit, & cum quo principalitèr agit per traditionem, & acceptationem ad triremes, debet talis actus intelligi geſtus talitèr quòd ſit minùs damnoſus, & magis vtilis eidem ſe tradenti, cui conſequentèr debetur ſolutio, alias ex actu ſuo damnum, & nihil vtilitatis ſentiret ex eodem actu priuationis ſuæ libertatis.

Et ſi dicatur tradentem ſe ad triremes fore habiturum in eis vtilitatem expenſarum; hoc non obſtat, quia iſtæ ſunt quid extrà naturam, & qualitatem primi actus, per quem ſe tradidit, nequè illæ fuerunt habitæ in conſideratione, ſed tantùm veniunt in conſequentiam, & quæ ſic veniunt non ſunt attendenda, immò attendendum eſt quod principalitèr agitur. *l.* 1. *ff. de authorit. tutor.* & *l. is, qui, ff. de liberali cauſa.* & *l. verum, ff. de furtis.* & *l. ſi quis nec cauſam*, vbi latè Iaſon *n.* 3. *& ſeqq. ff. ſi cert. petat.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 45. §. 1. *n.* 35. Moneta *de diſtribut. quotidian. p.* 2. *quæſt.* 5. *n.* 23. & alij.

6 Vrget in caſu noſtro contrà colonum, quòd iſte tantùm exequutus eſt actum traditionis ſui laboratoris factæ Capitaneo ex ordine eiuſdem laboratoris; ergò iſti totum debetur quidquid ſpectat ad talem actum, vt eſt venditio propriæ perſonæ ad triremes, cui debetur ſolutio ab emptore ex natura talis contractus quamuis tractatus per tertiam perſonam; vnde in Iure clarum eſt, actum ſolere attribui ordinanti, ſeù mandanti, non verò illum exequenti. *Cap. ſuper litteris, de reſcript.* & tenent ſic Romanus *conſ.* 366. *Quæritur, in princip.* & Surd. *de aliment. tit.* 8. *priui-*

E 2 *leg.*

leg. 56. num. 88. cum alijs. Igitur nullo iure in vtroquè foro potest colonus exequens sibi à laboratore ordinatum, receptam solutionem retinere.

7 Potentiùs facit in fauorem se dantis ad triremes in casu nostro Iurisperitorum assertum, nempè quòd naturalia si concurrant cum accidentalibus præferuntur, vt notat etiam Barbosa *Axiom.* 155. *n.* 3. cum Ægidio Bellam. *conf.* 43. *in princip.* Ancharano *conf.* 37. *n.* 6. & 7. & Franc. Molina dicente, naturalem coniecturam præualentem accidentali, *de ritu nupt. lib.* 3. *quæst.* 95. *num.* 55. quarè cùm naturale sit, quòd solutio detur ab emptore venditori, per accidens verò, seù accidentale sit, dictam solutionem in venditione consignatam fuisse in manibus vnius tertiæ personæ, isti nulla expressione facta, concluditur solutionem datam à Capitaneo emente hominem prò seruiendo in triremibus, naturalitèr spectare ad istum, qui se vendit, quamuis fuerit data in manibus supradicti coloni, hoc enim est quid accidentale posthabendum, & nullatenùs curandum in concursu naturalis debiti soluendi ab emptore soli venditori, non autem alicui tertio accidentalitèr se habenti in receptione solutionis de sui natura, seù naturalitèr dandæ ei, qui vendit, ab eo, qui emit.

8 Quidem verum est, solutionem fuisse factam in manibus coloni, tamen iste ex isto facto nequit commodum consequi, quia vt quis consequatur commodum ex facto qualificato, quale est habens qualitates venditionis, & emptionis, non attenditur factum, sed quod debuit fieri, per text. *l. nemo*, *C. de senten. & interloc. Iud.* & notat Crauet. *conf.* 320. *num.* 5. sic certum est, quòd in nostro casu solutio debuit fieri ipsi vendenti, propterea non attenditur factum, scilicèt solutionem fuisse factam in manibus coloni, cui nullum commodum potest indè prouenire, quia solùm hic attenditur, quod solutio venditori debuit fieri.

9 Tandem obseruo, quòd cùm firmet Abbas *conf.* 17. *col.* 2. *lib.* 2. factum posse haberi prò non facto quoad effectum iuris; hoc sanè verificatur in facto nostro, quatenùs licèt solutio fuerit facta in manibus coloni, debet haberi prò non facta ipsi quoad effectum iuris, quod vult solutionem prò emptione debere fieri venditori; ergò nihil suffragatur colono, vt sit ipsius solutio consignata ipsi, talis enim consignatio fuit quoddam factum habendum prò non facto quoad id, quod iuris est, scilicèt vt venditori

com-

competat id, quod emptor soluit.

10 Et adeò verum est in casu nostro, immò & in quolibèt alio, quòd seruitus, qua quis seipsum vendit, isti pretium debeatur, vt sinè pretij participatione, talis venditio non esset licita, nàm conditiones ad sui venditionem licitam requisitæ sunt, quòd viginti annos habeat, & liberè, & conscius seruitutis, & pretium verè participet. Ità expresè asserit Sanchez *in Consil. Moral. lib.1. cap. 1. dub. 3. num. 2.* & probat hoc ex *cap. 21. Exodi*, & ex *cap. 25. Leuitici*, vbi permittitur, vt Hebræi ægestate compulsi se ad tempus vendant; Gentiles verò in perpetuum; & ità habetur *Instit. de iur. person. §. serui autem*. Ratio asserti est, quia intèr mala pænæ, fas est minus eligere vitandi gratia maius; ergò ad vitandam mortem, vel aliquid aliud, proùt in nostro casu laboratoris carentis ad viuendum alimentis, potuit se libertate priuare, siquidem homo est dominus suæ libertatis. Syluester *verb. Seruitus, quæst. 5.* & Sot. *lib. 4. de iusti. quæst. 2. art. 2.*

Benè verum est, prædicta in isto numero esse intelligenda, dummodò non vergant in damnum alterius; si enim qui se vendit constrictus esset aliquibus obligationibus, quibus in libertate manens satisfacere posset, nequiret se in seruitutem redigere. Ità Sanch. *loc. cit. num. 3.*

11 Ex hactenùs traditis sequitur colonum teneri restituere solutionem acceptam ei, qui se vendidit, vel eius hæredibus, si extent, vel pauperibus, vel prò anima venditi, iuxta communes regulas faciendi restitutionem, si domino fieri non possit &c. Nec iuuat præsumptionem aliquam fauore coloni quærere, cùm potiùs contrà ipsum stet omnis præsumptio. *Primò*, quia si ille Officialis deputatus emens hominem, intendisset dare alteri solutionem, certè dolosè fecisset; at dolus semper præsumitur abesse ab Officiali. *l. 1. C. de præd. Curial. lib. 10.* & *l. si quis Decurio, C. de Decurio. lib. 10.* Bald. *in l. pacta nouiss. C. de pact.* & Mascard. *conclus. 1132. num. 2. & seq.*

Secundò, quia si ille Officialis emens voluisset alteri tertio solutionem dare, illicitè fecisset; at de Officiali non est præsumendum, quòd illicitum commiserit. Bald. post Gloss. *in l. accusationes, C. quod metus caus.* & constat nec dolum, nec quid illicitum commisisse Officialem, eò ipso quòd dans solutionem emptionis colono, isti nihil expressit, adeoquè solutio dirigebatur suapte natura

tura

tura ad venditorem mediante eodem colono, qui solummodò proposuit hominem spontè se vendentem.

Dixi non esse præsumendum de Officiali, quòd dolosè, vel illicitè agat, tamen hoc est intelligendum, nisi contrarium ex præmissis adiunctis veritas facti colligatur, tunc enim veritas præualet præsumptioni, per tex. *l. nuptura filio, ff. de iure dotium*, & notat Noster Gabriel *de iusti. & iur. dis. 7. à n. 120.* vbi quoquè notat, nedùm ex præmissis adiunctis, verùm etiam ex concurrentibus indicijs probabilibus probabilem veritatis præsumptionem oriri.

Appendix.

De per dolum vendentibus aliquem ad remigandum in triremibus.

12 Sed non raro aliqui dolosè, & illicitè venduntur ad triremes coactè. Hoc certè peccatum est mortale, tùm in venditore, tùm in Officiali emente. Huiusmodi venditio non dissimilis est à venditione proditoriè facta Iudæis per Iudam personæ Christi Domini; sed quàm iniustè hanc venditionem fecerit ipsemet acceptis prò pretio triginta argenteis non multò post rectè nouit, suamque iniustam venditionem Iudæis emptoribus notificauit, quibus & pretium restituere voluit, pænitens de tàm graui delicto ab ipso patrato sub ficto blandimento amicitiæ Christi ab ipso osculati. Hæù quàm infandum fuit hoc scelus Iudæ. Hæù etiam quàm grauitèr peccant, qui hominem per aliquam proditionem vendunt ementibus conscijs proditionis, vel etiam non conscijs, vt ad seruiendum in triremibus illum deducant, licèt à culpa possint excusari ementes proditionem vendentium ignorantes, & sic bona fide procedentes!

Sanè communis omnium Doctorum sententia est, inualidam, & iniustam esse venditionem rei alienæ inscio domino, atquè isto non consentiente; vndè cùm vendere proditoriè hominem liberum sit vendere quod suum non est, non valet venditio, eiusque pretium est restituendum vnà cum re vendita, rescindendo huiusmodi contractum cum peccato mortali contra iustitiam factum, ac etiam contrà Charitatem proximi sua libertate priuati per traditionem ad triremes, quæ traditio sinè temporis limitatione facta

ta importare videtur simul peccatum homicidij saltèm in affectu, dicitur enim damnationem ad triremes per decennium æquiparari morti; & hoc à fortiori probatur, si quis ad triremes inuoluntariè tradatur absolutè, scilicèt prò tempore indefinito, seù in perpetuum, quod neque à Iudice posse fieri ratione nimiùm duræ, & laboriosæ seruitutis docet Suarez *de Religio. tom.* 1 *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. quidquid dicat Gambac. *cap.* 34. *num.* 9. Vide *num. seq.*

13 Restitutio *antecedenti numero* dicta comprehendit etiam damna indè sequuta v.g. vxori, & filijs hominis iniustè venditi; & ideò licèt ex causa necessitatis possint habentes authoritatem compellere aliquos permanere in triremibus per aliquod tempus, proùt sic fuisse resolutum testatur Cutellius *in Codice legum Sicularum, ad legem Iacobi Regis, cap.* 31. *not.* 38. *num.* 3. hanc sententiam admitteret Diana *part.* 6. *tract.* 6. *res.* 5. quandò tempus non esset arbitrio boni viri adeò longum, & secluso quòd aliqui ex ipsis vxores, & filios non haberent, qui ex tali absentia in honore, & necessarijs naturæ damnum probabilitèr timere non possint.

14 Confirmantur hactenùs dicta ex ijs, quæ tradit Sanchez *Consilior. Moralium lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 11. *& seqq.* vbi asserit esse peccatum mortale emere nigrum, seù Æthiopem, de quo nescitur, vel dubitatur an in bello iusto fuerit captus, qui proptereà est manumittendus, nisi facta morali diligentia sufficientèr constet esse iustè captum. Idem tenet etiam Ledesma 2. 4. *quæst.* 18. *art.* 1. *dub.* 11. Hinc patet non posse hominem vendi, neque Æthiopem captum in bello iniusto, quia retinet suam libertatem, nec fit mancipium, nisi sit captus in bello iusto.

In casu tamen dubij superuenientis emptori post emptionem bona fide factam, an fuerit iustè captus, & facta diligentia non potest certificari; non tenetur manumittere, quia melior est conditio possidentis. Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *num.* 216. & Sanch. *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 28. cum alijs. Si autem emit mala fide, seù cum dubio an fuerit iustè captus, peccauit mortalitèr, & tenetur manumittere, nisi probabilibus rationibus possit dubium deponere, nisi ille, à quo emit habebat bonam fidem, cum qua possidebat; & ideò non tenetur emptor manumittere, quia succedit in ius venditoris bonæ fidei. Sanchez

Con-

Consilior. Moral. lib. 1. cap. 1. dub. 4. num. 15.

Iam ex dictis clarè concluditur quid sit dicendum de vendentibus, & ementibus hominem, siuè certò, siuè dubiè liberum.

INTERROGATIO VI.

An homicida damnatus ad mortem in patibulo, seù fur censendi sint moriendo satisfecisse prò damnis cuicunquè illatis per homicidium, ac furta.

IN meo itinere versùs Rauennam simùl cum vno Parocho, vidimus in via pendere in patibulo suspensum propter homicidium ab eo ibi patratum, necnon propter furta ab illo per assassinium commissa, prout rusticus quidam ibi repertus nobis retulit. His auditis, interrogauit me dictus Parochus vir doctus, quid resoluerem in quæstione, an talis suspensus satis per mortem satisfecerit prò damnis ex eius delicto sequutis, ità vt ipsius hæredes ad nihil teneantur?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Respondi: Duas difficultates quærit à me Dominatio sua in vnica interrogatione: *Vna* est, an semper prò homicidio sint ab hæredibus homicidæ, vel ab isto restituenda damna. *Altera* est, an per mortem homicidæ, quam iste per Iudicis condemnationem iustè subijt, censeatur plenè satisfecisse prò damnis ex homicidio prouentis; & ex resolutione harum duarum difficultatum inferam quid sit dicendum de fure suspenso.

Ad *primam* difficultatem dico, non semper esse aliquid restituendum prò damnis sequutis ex homicidio. Sic si quis occidat aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ ad tuendam propriam, vel proximi vitam, non tenebitur ad aliquam restitutionem: Si verò dictum moderamen non fuerit seruatum, tunc totum damnum erit restituendum, quia iniustè occidit; at si fuerit excessum, tunc restitutio erit facienda tantùm ad proportionem excessus, siuè sit notabilis, siuè sit leuis.

2 Item

2 Item censeo posse inuasum inuadentem, vt res illius rapiat, occidere, dummodò sint in notabili quantitate. Hoc tamen limitandum est, dummodò non possint eædem res iudicialitèr recuperari, quamuis non desit qui absolutè teneat posse iniustè inuadentem occidi ab inuaso in suis rebus notabilis quantitatis. Dico, *notabilis quantitatis*, quia damnata est doctrina asserentium licere regularitèr occidere inuasorem prò conseruatione vnius aurei.

Ex dictis constat non semper esse resarcienda damna ex homicidio illata, sed quotiès inuasus non seruauit moderamen inculpatæ tutelæ, prout dixi.

3 Potest adhùc inquiri, an qui vulnus non lethale alicui inflixit, ex quo post aliquod tempus moritur, sit censendus homicida ad damnorum restitutionem obligatus? Ad hoc quæsitum respondeo cum distinctione: Vel mortuus est ex Medici malitia, seù negligentia, aut ex incuria ipsius vulnerati, & tunc non tenetur ad restitutionem, vti homicida, sed solùm vti vulnerans: Vel mortuus est, quia in eo loco non erat Medicus, qui posset vulneratum curare; & tunc tanquàm verus homicida obnoxius erit restitutioni, quamuis ipse vulneratus diligentiam adhibuerit prò sanitate acquirenda, deficiente Chirurgo; nàm in tali circumstantia loci, & temporis vulnus iudicatur lethale. Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 9. dis.* 15.

4 Si contingat, quòd aliquis, v.g. venator, occidat casu hominem, quem non obstante diligentia adhibita putabat esse feram, ad nullam tenetur restitutionem, cùm verè non sit homicida, nec peccauerit peccato iniustitiæ.

5 Prouocatus ad duellum, si occidat prouocantem, ad nullam tenetur restitutionem; si verò prouocans interficiat prouocatum, certè tenetur resarcire damna, quia prouocatus inuoluntariè acceptauit, nè vilis videretur; at si duellantes æquè se inuicem prouocarunt, neuter ad restituendum tenebitur, nàm vterquè sciuit, & voluit iniuriam, quæ volenti, & consentienti non fit.

6 Inter personas nobiles non datur obligatio restituendi propter homicidium, quià intèr tales censetur facta remissio, vt constat ex vsu communi.

7 Ad *secundam* difficultatem, nempè an hæredes homicidæ te-

F nean-

neantur ad restitutionem, quamuis iste fuerit ad mortem iudicialitèr damnatus: Respondeo id à quibusdam negari, quia per talem mortem compensantur omnia damna; verùm ab alijs id affirmatur, eò quòd talis mors non infligitur à Iudice, vt parti læsæ satisfiat, sed vt Reipublicæ, & Legibus prò iniuria eis illata; tamen hoc procedit, dummodò sic damnati bona pertineant ad hæredes per libera legata, non autem si ad istos peruenerint per hæreditariam successionem.

Hinc patet, esse idem asserendum de fure ad mortem damnato, & quidèm à fortiori iuxtà dictam secundam sententiam quoad illius hæredes, ad quos eius bona peruenerunt, non per legitimam hæreditatem, sed per iniusta furta ab ipso commissa, quæ si extent, certè restituenda sunt dominis, quinam autem sint isti, si ignorentur, in tali casu prò illorum animabus facienda erit restitutio.

Responsio latè scripta.

8 Nullus ex homicidio cum moderamine inculpatæ tutelæ facto ad tuendam propriam, vel proximi vitam tenetur aliquid restituere, & consequentèr nequè talis homicidæ hæredes, & ità docent Doctores *communitèr*.

9 Potest interdùm contingere, vt seruato moderamine dicto interuenerit in illo aliquis excessus, ex quo damnum aliquod euenerit; & in isto casu erit facienda restitutio ad proportionem solius excessus, qui si fuerit leuis, etiam leuis restitutio erit facienda; si verò fuerit grauis, grauem restitutionis obligationem importabit. Comitolus *in Respons. Moral. lib. 4. quæst. 11. num. 6.* Cælestin. *in Compend. Theol. Moral. tract. 10. cap. 3. num. 3.* Syluius *in 2. 2. quæst. 62. art. 2. Quæritur 3.* & alij. Ratio est, quia restitutio est debita proptèr iniustam damni illationem; ergò quantò maior, vel minor fuerit talis illatio, maior quoquè, vel minor erit facienda restitutio. Rebell. *de obligationib. iustitiæ, part. 2. lib. 3. quæst. 12. num. 7.* At si qui fuit occisus nihil lucri faciebat, nihil erit restituendum. Diana *part. 5. tract. 4. res. 54.* tamen Lessius *de iusti. lib. 2. cap. 9. dub. 23. à num. 141.* excipit, si quæ in Medicum factæ fuerint expensæ, quæ erunt restituendæ.

10 Iniustus inuasor rerum in notabili quantitate, an possit ab

ab earum domino occidi, diuersimodè resoluunt Doctores. Aliqui sentiunt, quod si res sint facilis recuperationis per Iudicem, non licèt raptorem occidere, quia res non erant amittendæ; & ideò si inuasus in isto casu occidat, tenebitur ad restitutionem. Bartol. *in l. furem, de Sicarijs*, & Nauarra *de Restit. lib. 3. cap. 3. num.* 413. Idem tenent plures Theologi, & Iuristæ apud Sotum ipsos sequentem *lib. 5. de iusti. quæst. 1. art.* 8. Ratio est, quia ex iustitia quisquè tenetur grauissimum damnum (quale est ablatio vitæ) non inferre proximo, prò euitando damno leui proprio, quale est carere proprijs rebus per breue tempus, vt contingit, quandò iudicialitèr possunt de facili recuperari, immò esset etiam contra Charitatem, quæ obligat leue pati damnum prò impediendo maiori proximi. Secùs dicendum est, si difficilima esset recuperatio per Iudicem, in quo casu liceret inuasorem occidere, si alitèr dictæ res saluari non possent. Sic Fernad. *loc. cit.* & Malder. *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub.* 13.

Alij cum Caietano *in 2. 2. quæst. 64. art. 7.* censent, posse aggressum vti iure suo tuendi res proprias, etiamsi sint recuperabiles, necando aggressorem, modò res sint in notabili quantitate. Ego tamen sentio cum Fernandez, & Maldero *loc. cit.* & hìc est notanda propositio 31. intèr cæteras ab Innoc. XI. damnatas quæ dicit: *Regularitèr occidere possum furem prò conseruatione vnius aurei.* Vide etiam *infrà, num.* 18. aliam damnationem quoad hoc.

11 Quid sit dicendum de vulnerante aliquem non lethaliter, sed posteà ex tali vulnere decessit, dixi *suprà, num. 3.* Vide *ibi*.

12 Certum est, non posse maritum interficere vxorem in adulterio repertam; immò contrarium affirmare est damnatum ab Alexandro VII. qui intèr propositiones ab ipso condemnatas posuit *num.* 19. istam: *Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam.*

13 Si verò maritus velit occidere adulterum, quì vt se defendat interficit illum, seruato debito moderamine, ad nullam tenetur restitutionem; nàm quamuis culpabilitèr in tale periculum adulter intrauerit, ius tamen suam vitam tuendi non amisit, maximè si satisfactionem obtulit, seù si veniam petijt, cùm nequè maritus in tali casu ius acquisiuerit propria authoritate occidendi adulterum. Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 9. num. dub. 21. num.* 137.

Verùm ad restitutionem adulterum teneri, quia causam effi-

cacem per iniuriam dedit, vt damnum sequatur, tametsi peccato homicidij non peccauerit, ait Rebell. *de obligationib. iusti.part.1. lib. 3. quæst. 12.*

Dictam sententiam Lessij tenent Megal. *in p. 2. lib. 3. cap. 1. quæst. 1. n. 10.* quia adulterium est causa remota, & solùm occasio, non via ad interfectionem mariti, sed potiùs adulteri.

14 Rebellus *loc. cit. num. 6.* docet, quòd si inuasus potuit suam vitam tueri fugiendo, & non fugit, sed occidit, tenetur damna reficere. Sed non teneri putant Lessi. *vbi suprà, num. 136.* & Molina *de iusti. tom. 4. tract. 3. disp.* 8. cum alijs. Ducuntur, quia non fugiendo, vel alitèr non declinando peccauit contrà Charitatem, non autem contrà iustitiam, inuasor enim ius nullum obtinuit, quo illum ad declinandum obligaret.

15 Ex homicidio casuali, & inculpabili nulla oritur restitutionis obligatio, quia nullum interuenit peccatum contrà iustitiam, proùt docent Doctores *communitèr*.

16 Ex homicidio facto in duello sequitur debitum restituendi. Ità absolutè tradunt Turrianus *in 2.2. D. Thomæ, tom. 2. disp. 28. dub. 4. num. 12.* Peregrin. *tract. de Duello, quæst. 30. num. 4.* Megal. *in 1. 2. lib. 3. cap. 1. quæst. 1. num. 13.* & alij.

Sed Rebell. *de obligationib. iustitiæ, part. 1. lib. 3. quæst. 12. num. 8.* Villalob. *in Summa, tom. 2. tract. 11. difficult. 24. num. 1.* Syluius *in 2.2. quæst. 62. art. 2. Quæritur 3.* & plures alij afferunt tunc obligationem restituendi ob occisionem factam in duello, quandò prouocatus occiditur, quia contrà voluntatem ipsius fuit inuitatus; secùs si prouocans remaneat interfectus, nàm spontè vocauit illum ad se interficiendum si præualebit, & sic scienti, & volenti iniuriam non intulit; & similitèr ob istam rationem neuter ex duellantibus tenebitur restituere, si æquè se inuicem prouocarunt; peccant tamen mortalitèr cum incursione excommunicationis, & pænarum duellantium.

17 Si Titius fecit homicidium, quod fuit imputatum Caio, qui propterea suspenditur, Titius non tenetur aliquid restituere prò damnis Caio sequutis, dummodò Titius non fecerit homicidium, vt Caio imputaretur, nec fore ei imputandum præuiderit. Sic Doctores *communitèr*, quia nullam iniuriam Titius in hoc casu intulit Caio. Si verò Titius præuidit damnum eeuenturum Caio, peccauit contrà iustitiam, ideòque ad restitutionem teneri,

ri, vult Azorius *Institut. Moral. part. 3. lib. 5. cap. 3. quæst.* 10. At non peccare Titium contra iustitiam, adeoquè non teneri ad restitutionem dicunt Lessius *de iusti. lib.* 2. *cap. 9. dub.* 10. *num.* 110. *& seqq.* & Sanch. *in Opusc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 9. Ducuntur, quia quandò ex aliqua actione non sequitur damnum tertio ex natura eiusdem actionis, nec vt plurimùm, sed ex malitia, vel ignorantia, ac per accidens, non tenetur ex iustitia, sed tantùm ex Charitate, qui talem actionem ponit, cauere damnum tertio euenturum, quapropter ad restitutionem non tenetur.

Sic quamuis Sotus *de iusti. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. & alij asserant, teneri ad restitutionem Sempronium vendentem scopletum Liuio ea intentione, vt occidat Paulum, quia actus humani sumunt suum effectum specificum ex intentione; tamen id negat Lessius *loc. cit.* quia intentio non reddit iniustum opus de se non tale, nisi alias ex circumstantijs tale fiat.

18 Circà prædicta *sub num.* 10. extat propositio *num.* 32. intèr damnatas ab Innocentio XI. posita dicens sic: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiua, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ ius incheatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

19 Quamuis absquè culpa domini mancipium commiserit homicidium, nihilominùs ipsum dominum teneri ad restitutionem videtur per *l. si seruus, ff. de noxalib. action.* & per *cap. de iniurijs, & damno dato.* Verùm Petrus Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 38. & Lessi. *de iusti. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 17. *num.* 119. censent dictas leges neque iure positiuo antè Iudicis sententiam obligare in conscientia, cùm videantur spectare ad solum forum externum, nequè alitèr esse in vsu.

20 Modus homicidij, vt v. g. atrocitas, non obligat ad plùs restituendum, quia restituendi ratio est damnum sequutum, quidquid sit de tali modo: Azori. *Instit. Moral. part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 3. ità docet contrà Sotum *de iusti. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 3.

21 Hæredes homicidæ tenentur tùm damna, tùm alia debita soluere; & similitèr tenetur Fiscus, si bona homicidæ fuerunt publicata. Ità Aragon. *in* 2. 2. *D. Thomæ, quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 1. & Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *à num.* 74. Quærè omninò *infrà, num.* 27. V. *Inter.* 2. *num.* 28. & V. *Inter.* 34. *num.* 14.

22 Ex-

22 Expensæ moderatæ prò sepultura occisi non sunt soluendæ ab homicida, quia cùm essent faciendæ de bonis illius quandò morietur, consequentèr non fuit damnificatus quoad illas. Sic DD. *citati* contra Nauarrum *in Summa, cap.* 15. *num.* 22.

23 Homicida non tenetur aliquid restituere ijs, quos occisus ex liberalitate, vel titulo eleemosynæ sustentabat, vel aliquid tribuebat, licèt sint cognati. Ratio est, quia id nullo iure illis debebatur, vt suppono, nequè occidens fecit eo animo, vt illos talibus beneficijs priuaret, ijsdemque tale damnum inferret. Ità Salon. *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controuers.* 7. Sotus *de iusti. lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. Molin. *de iusti. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 83. *num.* 6. & alij contra Nauarram *de restit. lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 76. Vasq. *Opusc. de restit. cap.* 2. §. 3. *dub.* 7. *num.* 24. & alios, qui asserunt teneri, ducti à pari de obligatione restituendi ei, quem quis impedit, nè consequatur Beneficium, saltèm ad proportionem spei, quam habebat ad illud habendum. Sed Authoribus huius secundæ sententiæ respondetur, paritatem eorum non currere, quia spes ad Beneficium fundatur in aliquo iure acquisito; è contrà verò in habentibus ex liberalitate nullum ius habent, vt asserunt docentes primam sententiam.

24 Damnum illatum ab homicida habente vxorem, filios, & creditores, istis est priùs restituendum, quia est debitum ex iustitia; quod autem restitui debet filijs, & vxori occisi, intelligitur restituendum deducto ære alieno. Molina *vbi suprà*, & Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 6, *num.* 4. Vide tamen dicenda *infrà, num.* 27.

25 Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 4. *num.* 116. & 121. & Faber *de restit. in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 52. *cap.* 2. *num.* 72. tenent homicidam esse obligatum restituere filijs occisi, quamuis ipse occisus omnia remiserit occisori. Sed contrarium docent aliqui, quia interfector nullam filijs fecit iniuriam in bonis temporalibus, nisi quatenus læduntur in patre contrà huius voluntatem, qui si remittat, ius nullum in filijs remanet. Benè verum est, quòd sic remittens laudabilitèr, nec prudentèr faceret, si filij egent; tamen in foro conscientiæ valebit remissio, dummodò lex aliqua positiua non obstet quoad totam, vel quoad partem remissionis, tunc enim remissio tenebit iuxtà legis restrictionem, seu determinationem.

26 Alia

26 Alia vide *in mea Arbore omnium Opinionum, tom. 3. verb. Homicidium, num.* 80.

An per condemnationem homicidæ, vel furis ad mortem, compensata censeantur omnia damna ab ipsis illata.

27 Hæredes homicidæ damnati ad mortem tenentur homicidij damna, ideſt ex homicidio ſequuta reſarcire, quia Iudex non punit, vt parti offenſæ ſatisfaciat prò damnis, ſed ſolùm in iuſtam vindictam iniuriæ irrogatæ Reipublicæ, & Legibus, & in aliorum terrorem. Ità Sanchez *in Opusc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 2. Gordon. *tom.* 1. *lib.* 5. *quæst.* 4. *cap.* 4. *num.* 17. & alij. Limitatè tamen hæc ſententia procedit, nempè dummodò bona damnati fuerint hæredibus relicta titulo liberi legati; non autem ſi per hæreditatem, ſiuè per hæreditariam ſucceſſionem hæredibus competant. Sic docent Aragon. *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. & Fernand. *in Exam. Theol. Moral. part.* 1. *cap.* 14. §. 1. *num.* 16.

Probabilitate tamen non caret opinio excuſantium hæredes homicidæ ab obligatione reſtituendi damna homicidij, quandò homicida fuit ad mortem ſententiatus, quia per talem mortem compenſatur omnis iniuſtitia, omneque damnum. Hanc ſententiam tenent Roſella *in Summa, verb. Restitutio* 3. Bannez *de iusti. & iure, in* 2. 2. *D. Thoma, quæst.* 62. *art.* 2. Leſſius *de iusti. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 22. *num.* 139. & alij.

At circà prædictas opiniones aduertendum eſt, ambas procedere de damnis ex ſolo homicidio prouentis, prò quibus reſtitutio ab hærede homicidæ facienda, vel non facienda eſt, ſed cum bonis, quæ propria erant damnati ad mortem, non verò de ijs non proprijs illius, vt ſunt bona obligata creditoribus, ſeù furata, iſta enim ſunt ab hærede reſtituenda, & omnia debita ſuſpenſi in patibulo ſunt ſoluenda. Igitur ex dictis conſtat quid ſit, vel non ſit reſtituendum ab hærede furis, & homicidæ ad mortem ſi damnentur. Vide *suprà, num.* 21. & *Int.* 2. *num.* 28.



IN-

INTERROGATIO VII.

An omnia teneatur restituere Pater filij, qui impuber à domo paterna fugerat, & post annum adhùc impuber domum est reuersus cum facultatum copia ignorantèr furatarum, cum quibus idem Pater copiosam sibi construxit mercium negotiationem, quam per longum tempus nesciens esse furatas exercuit?

PErgebam è Ciuitate Goritiana ad Ciuitatem Vtinensem propè quam, & extrà eam duò circitèr milliaria ad carceres ducebatur cum eius filio quidam mercator, qui olìm valdè pauper publicè notus cùm esset, omnibus in admiratione erat, quomodò ad tantam bonorum prosperitatem repentè deuenisset, quarè apud Iudicem fuerat accusatus, quòd ex furatis sibi tàm pinguem fortunam fecerit, non quidem quia ipse manibus suis aliena rapuerit, sed quia eius filius clam à latrone paruulus impuber raptus, seù etiam voluntariè à paterna domo discessus, latroni seruiuit ingrediendo angusta, quæ idem latro in domibus, vel apothecis faciebat foramina, per quæ extrà porrigeret, quidquid intùs surripere posset, quamuis id non licere (quod incredibile videtur) paruulus ignoraret. Defuncto postmodùm ex improuiso in hospitio, in quo continuè degebat, eodem latrone omnibus vti tali ignoto, puer qui secum erat nundùm septem annorum factus, putatus proprius defuncti, copiosas quas latro de venditis furtis habebat pecunias sibi accepit, atquè cum istis ad patrem redijt dicens, se hactenùs inseruisse cuidam domino, quo mortuo illas habuit. Credidit filio pater, qui putans tales pecunias fuisse à Domino eidem ritè relictas, cæpit cum istis negotiari, simulque cum propria industria non paucas obtinuit diuitias. Hinc qualitèr per filium eius Pater olim in paupertate, nunc in diuitijs fit, voluit quidam parùm dicti Patris amicus plenè scire, atquè ideò exactè interrogauit filium, qui in simplicitate omnia expressiùs quàm Patri narrauit, & sic de factis certioratus idem interrogans, nouit ex furtis patrem sibi diuitias cumulasse, quem propterea

apud

apud Iudicem accusauit, ac proindè tùm pater, tùm filius ducebantur ad carceres.

Reuersus sum Goritiam, vbi per aliquot menses moram feci, vbi audiui prædictos patrem, & filium fuisse repertos innocentes ratione veræ ignorantiæ, quòd ex furtis fuerint pecuniæ à filio delatæ patri, qui cum illis vnà cum propria industria negotiationem exercuit, vndè & diues æuasit, quarè in disputatione erat intèr Theologos, & Iurisperitos, quid in hoc casu esset prò vtroquè foro resoluendum, de quo ego quoquè quid iudicarem fui interrogatus?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Respondi: Certum est, totam negotiationem Patris, vt in casu, fuisse exercitam cum pecunijs ab initio furatis, sed non talibus scitis, proùt supponitur; & ideò detecta veritate nemo iure negabit quin ex natura rei sint restituendæ dominis rerum, ex quibus per venditionem earum à fure factam fuerunt acquisitæ, exceptis industriæ fructibus.

2 Dicta restitutio in casu nostro esset facienda iuxtà regulas possessorum bonæ fidei, qui si res sic possessas consumpserunt, tenentur restituere tantùm id, in quo facti sunt locupletiores. In præsenti tamen casu, cùm res bona fide à Patre possessa consistat in solis pecunijs, cum quibus ille nihil antè habens factus est diues, consequentèr videtur teneri restituere omnia, nempè & pecunias extantes, licèt non materialitèr easdem, & etiam id, in quo factus est ditior, exceptis lucris propriæ industriæ, nisi etiam dominus rei ea percepisset.

3 Sed quia si mercator de quo agimus deberet omnibus, vel ferè omnibus rebus restituendo se priuare, infamiam, & grauissimum damnum pateretur, propterea posset excusari à restitutione, saltèm ex parte iudicio pij, & prudentis viri, atquè etiam ex toto si dominus ignoretur, & accedat Papæ compositio, ex vi Bullæ Compositionis, quæ est de rebus malè ablatis, ac incertis, quarum domini nequeunt inueniri, proùt est in casu nostro, sicuti nequè eorum hæredes, vndè prò illorum animabus per pia opera restitutio esset facienda. Summus autem Pontifex vtpotè administrator rerum etiam temporalium ad bonum animarum fa-

cientium, poteſt de illis diſponere; & ideò in præſenti caſu cenſeo eſſe omninò neceſſarium ad Sedem Apoſtolicam recurrere, cùm prædictus parens antè pauper, imınò & mendicus, nunc verò diues factus ſit per negotiationem pecuniarum ipſi à filio delatarum, ſed eidem filio non competentium, quia nec filius (vt putabatur) erat proprius defuncti ignoti latronis, neque iſtius erant propriæ, ſed obnoxiæ reſtitutioni incertis dominis quoad quid, ſeù quantum illarum.

Reſponſio latè ſcripta.

4 Caſus ſuprapoſitus cùm totus ſit de poſſidentibus bona fide, nullatenùs ſpectat ad externum forum Eccleſiaſticum, ſeù laicalem, ac propterea nec pater, nec filius poterant carcerari, ſed ad ſolum forum Confeſſarij erant dimittendi, detecta veritate poſſeſſionis rei alienæ. Ratio eſt, quia qui rem alienam bona fide, ac ignorantia inuincibili putatam propriam poſſidet, nullum crimen nec coràm Deo, nec coràm hominibus committit, vt affirmant Doctores *communitèr*. Verùm accedente poſteà cognitione, rem eſſe alienam, tunc inſurgit obligatio reſtitutionis, attentis circumſtantijs iuxtà iudicium docti, ac prudentis Confeſſarij.

5 Sed dubium eſſe poſſet de filio, an à Iudice puniri poſſit tanquàm fur, aut vt cooperator ad furta domini ſui, à quo per anguſta foramina immittebatur ad accipiendum quiquid poſſet; at cenſeo eſſe negatiuè dicendum, quia lex præſumit vſum rationis non adeſſe in eo, qui ad ſeptennium non peruenit, & talis erat puer in caſu noſtro, quem quaſi ſimilem dicerem malitiæ cuiuſdam mihi antiquitùs noti, qui fune ligato fele, hunc per feneſtram demittebat in locum, in quo quædam lauandara plures tenebat pannos lineos lotos, quos felis vnguibus arripiebat, dùm ſe per collum in altum ad feneſtram trahi ſentiebat, ſicque quæ rapere poterat foras portabat ignorans malitiæ, qua ignorantia ſupponitur quoquè laboraſſe puerum noſtri caſus, proportione ſeruata, ideſt ſeruatis ſeruandis in dicta paritate, quia etiam puer habebat ignorantiam inuincibilem, quæ dari poteſt circà præcepta legis Ciuilis, & naturæ, licèt dari non poſſit de principijs vniuerſaliſſimis, vel per ſe notis, etiam prò modico

tem-

tempore, in vtente tamen ratione, qua vti non præsumitur puer antè septennium. D.Thomas *in* 1.2. *quæst.* 94. *art.* 2. Passerin. *in lib.* 1. *Sexti Decretal. cap. vt Animar.* 2. *de Constit. quæst.* 1. *art.* 10. Sanch. *in Opusc. Moral. lib.* 1. *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 33. & Sayr. *in Claui Regia, lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 17. Principia autem vniuersalissima; & per se nota sunt, v. g. *Bonum est faciendum; malum est vitandum &c.*

6 Igitur præsens casus examinandus, & resoluendus est à docto, & prudenti Confessario quoad obligationem patris facti diuitis per negotiationem pecuniarum ab eius filio ei delatarum, iuxtà prædictas circumstantias; quarè interrogatus ego, quid sit dicendum, censeo esse resoluendum sic.

Pecuniæ concessæ puero putato filio defuncti latronis, & consequentèr tanquàm illius hæredi, nullo iure competebant ei, siuè sint de congregatis per furta, siuè alitèr iustè aliundè acquisitæ, quia verè dictus puer hæres non erat, immò si nullatenùs ad latronem spectabant, prò anima cuiuscunquè illarum domini, proùt Deus scit, tamquàm incertæ erant in pios vsus impendendæ, vt dicam infrà, & sic in omnium Doctorum sententia tenendum est. Vide *infrà*, *num.* 16.

7 Ista obligatio fuit tota deuoluta in patrem, nequè ab illa adimplenda excusatur, quamuis de præterito tales pecunias crediderit esse proprias, vtpotè à Domino filij datas illi, vt iste asseruit patri, qui propterea antè detectionem veritatis fuit semper possessor bonæ fidei, quæ quandiù durat in possidente, iste nec peccat, nec ad restituendum tenetur, vt docent DD. *communitèr*, addentes tunc teneri, & quidèm data prima opportunitate, postquàm cognouit rem non esse suam, quia inuito domino res aliena retineri non potest, sed est liberè restituenda, scilicèt sinè pretij petitione. *l. mater tua*, 3. *& l. si mancipium*, 23. *C. de rei vindic.* æquum enim non est, quòd dominus rem suam emat.

8 Et quia in præsenti casu res bona fide possessa consistit in pecunijs a filio patri suo delatis, istæ si extant sunt in specie restituendæ domino, vel eius hæredibus, qui si non sciantur, restitutio facienda est pauperibus ex præsumpta rationabili dominorum voluntate. Rebell. *de obligationib. iustitiæ, part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 12. *sect.* 1. Nauarra *de rest. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 59. Salon. *in* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *controuers.* 5. & alij, & talis est consuetu-

suetudo communitèr recepta, si factâ diligentiâ non potest dominus reperiri, vt est in casu nostro.

9 Tamen iam non extare dictas pecunias constat, eò ipsò quòd per longum tempus cum ipsis fuit bona fide incerta, & etiam exercita negotiatio, vndè de præsenti sunt consumptæ, qui, autem alienam rem bona fide consumpsit, non tenetur restituere aliquid, nisi id in quo factus est ditior. Sic docent aliqui, quos citat, & sequitur Sanchez *in Sum. tom.1. lib. 2. cap. 23. n.34.* & prò hac sententia stant etiam Lessius *de iusti. & iure, lib. 2. cap. 14. dub. 5. num. 29.* Rebell. *de obligationib. iusti. part. 1. lib. 2. quæst. 3. n. 3.* Philiarch. *de offi. Sacerdot. tom. 2. part. 2. lib.6. cap. 18.* quatenùs asserunt, ementem, & vendentem rem furtiuam bona fide eodem pretio, nihil teneri restituere domino, quia in nihilo factus est locupletior; & sic iuxtà istam sententiam restitutionis obligationem non habet in nostro casu pater, qui bona fide consumpsit pecunias, cum quibus licèt factus sit ditior, nihilominùs nihil tenetur restituere de acquisitis, quia quæ acquisiuit non sunt fructus rei, sed propriæ industriæ, & huiusmodi industriæ fructus non sunt obnoxij restitutioni, vt tradunt Molina *de iusti. tom. 3. tract. 2. disp. 721. num. 10.* & alij, dummodò tales fructus industriæ ipse quoquè dominus rei percepturus minimè fuisset.

10 Cæterùm vt enucleatiùs, & securiùs prò conscientia præsentem casum resoluam, obseruo distinctiones à Doctoribus ad rem nostram adhibitas. *Primò*, vel certum est, quòd pecuniæ à filio patri allatæ erant propriæ furis defuncti. *Secundò*, vel certum est, quòd erant permixtæ cum alijs pecunijs proprijs eiusdem furis. *Tertiò*, vel dubitatur à patre bonæ fidei possessore, an sint furtiuæ. *Quartò*, vel certum est, quòd sunt furtiuæ. *Quintò*, vel sunt iàm consumptæ.

11 Hinc si *primum* dicatur, certè domino, vel isto defuncto, huius hæredibus sunt restituendæ in indiuiduo, si extent eædem pecuniæ. At si nec dominus viuat, nequè sciatur quinam sint illius hæredes, nequè facta diligentia sciri possint, tunc restitutio fieri debet in pios vsus, nisi bona fide consumptæ sint, & in nihilo, qui eas consumpsit, factus sit ditior, in isto enim casu non tenetur aliquid restituere. Diana *part. 2. tract. 15. res. 11.* & alij.

12 Si *secundum* dicatur, nempè quòd pecuniæ allatæ à puero erant

erant commixtæ à fure partim furtiuæ, & partim propriæ, ità vt à proprijs nequeant alienæ discerni, tunc si bona, aut etiam mala fide totam, vel partem summæ pecuniarum donasset puero, & iste detulisset patri, iste nihil teneretur restituere, quia per mixtionem consumptioni æquiualentem fur factus est dominus, vndè non apparet cur pater ad restitutionem teneatur rei à donatore tanquam suæ puero donatario datæ. Ità Sanchez, & alij, quos cum illis sentiens refert Dicastill. *lib.2. tract.2. d.9.n.*186. contrà Petrum Nauarram, addentes tamen, totam obligationem restituendi esse in fure, si possit cum alijs bonis suis, quamuis nolit; at si non possit, tunc dicta obligatio remanet in donatario, quia causà istius fur factus est impotens, quæ impotentia imputanda est eidem donatario, vt ait Sanchez *loc. cit.* Sed circà hoc Thomas Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. §. 4. *num.* 26. ait, esse probabilem sententiam Molinæ, Lessij, & Salas penès Palaum *de iusti. commut. disp.* 1. *punct.* 14. scilicèt nullam obligationem dari in donatario, si non induxit dictum furem ad donandum, sed tantùm acceptauit; id tamen docet Molina cum quadam animaduersione apud Cardin. de Lugo *de iust. disp.* 20.

Quòd si in casu nostro non interuenit donatio modo prædicto, sed tantùm pater accepit bona fide pecunias ipsi delatas à filio, putans fuisse illas ei ritè relictas, cum quibus negotiationem exercendo diuitias obtinuit per propriam industriam, non verò tanquàm fructus proprij pecuniarum bona fide consumptarum, vndè ex istis non est factus ditior, quia fructus industriæ per rem furatam sunt ipsius furis, & multò magìs fiunt proprij illius, qui rem furtiuam bona fide habens, eam consumpsit per eamdem in nihilo factus ditior, sed solùm per suam industriam; indè venit dicendum, ad nullam restitutionem teneri patrem in præsenti casu eò ipsò quòd bona fide pecunias consumpsit si per eas non sit factus ditior; vel si cum suis pecunijs mixtionem consumptioni æquiualentem fecerit, per quam mixtionem, seù consumptionem in nullo factus ditior qui bona fide fecit, factus est dominus rei per Vasq. *de rest. cap.* 9. §. 2. *dub. vlt.* & alios, remanente obligatione restituendi pecuniam statìm ac fuerit detectum esse furatam, & quidem in specie si extet, & discerni possit, vel similem, siuè æquiualentem, si quæ furata fuit habeatur permixta cum propria, ità quòd in cumulo redacta nequeat discerni.

13 Si

13 Si *tertium* dicatur, videlicèt, an pater possessor bonæ fidei posteà dubitet an res, seù pecuniam possessa sit sua quia fortasse vti propria furis peruenit ad filium, qui qualitèr eam habuerit exprimere nescit, nempè an ex voluntate defuncti aliàs cauponi expressa dum in illius caupona ad mortem infirmus aliquandò degebat; vel an ex aliquo alio motiuo dubius sit, in tali casu tenetur diligentèr inquirere veritatem, quòd si adhibità diligentià dubium tolli nequit, potest retinere rem, seù pecuniam, quam si consúmpsit, non est posteà obligatus aliquid restituere, nisi id in quo factus est ditior. Ità docet Noster Gabriel à S. Vincentio *de iusti. & iure, disp. 5. quæst. 8. num. 55.* & *num. 373.* addit, Possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus, quos bona fide consumpsit.

14 Si *quartum* dicatur, scilicèt esse certè furtiuas, constat ex dictis *supra num. 11.* quid sit resoluendum.

15 Si *quintum* dicatur, patet responsio ex traditis *supra, dicto num. 11.*

16 Vltimò obseruo, quòd cùm pater in casu præsenti acceperit à filio sinè delicto, sed bona fide pecuniam restitutioni obnoxiam, sed cui debeatur ignoret, quamuis debitam adhibuerit diligentiam inueniendi dominum, probabile est, non teneri eam pauperibus dare, sed posse sibi retinere; vt docet Petr. Nauarr. quem sequitur Layman, & idem asserit Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 14. dub. 7. num. 48.* quam sententiam esse tutam in praxi ait Diana *part. 2. tract. 3. res. 5.* Tamen plerìquè cum D. Thoma sentiunt esse magìs pium, & practicè suadendum, huiusmodi bona incerta esse danda pauperibus. Ità notat Busenba. *in Medull. lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 5. num. 1.*

Nihilominùs censeo casum istum esse prorsùs resoluendum, quòd pater compositionem faciat cum Summo Pontifice, apud quem est potestas distribuendi omnia bona spiritualia Fidelium, qualia sunt etiam illa, quæ vtpotè incerta essent Ecclesiæ, siuè pauperibus, vt in pia opera eroganda, tuncque tuta conscientia poterit pater omnia retinere. Sic colligo ex Nostro Andrea à Matre Dei *de iusti. & iure, tract. 12. cap. 2. punct. 8. §. 2. num. 85.*

IN-

INTERROGATIO VIII.

An validè, & licitè, ac sine censuræ incursione quis Baptizauerit absquè Parochi licentia, & cum verbis istis: Te Baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini.

IN quodam Istriæ Rure receptus ad hospitandum fui hora circitèr secunda post solis occasum à dicti Ruris Parocho, in cuius Ecclesia eo die suam primam Missam celebrauerat quidam modernus Sacerdos. Post prandium discesserat Parochus, reuersurus tamen antè noctem. Dùm aberat, parentes pridiè nati infantis, ex deuotionis motiuo ergà nouum Sacerdotem, hunc rogauerunt, vt eorum filio Baptismum conferret: Annuit imperitus Sacerdos, & solemnitèr Baptizauit cum hac forma: *Te Baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini*. Reuerso Parocho factum narrauit quidam satis doctus Clericus, prætendens nullitatem Baptismi, & incursionem censuræ ob vsurpatam iurisdictionem à finè Parochi scitu Baptizante: Quarè quid mihi videbatur dicendum de hoc casu fui interrogatus.

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Respondi: Quatuor dubia continet propositus casus. *Primum* est, an licitè se gesserit modernus Sacerdos, tùm sub dicta forma Baptizando, tùm absquè Parochi facultate. *Secundum* est, an validè cum dicta forma Sacramentum Baptismi contulerit. *Tertium* est, an censuram, seù irregularitatem contraxerit Baptizans finè licentia Parochi proprij ipsius baptizandi. *Quartum* est, an peccauerint parentes petentes Baptismum à non Parocho filij.

2 Quoad *primum* dico, certum esse, quòd illicitè, & cum graui peccato se gessit in nostro casu Sacerdos vtens forma contrà vsum Ecclesiæ, (quidquid sit, quòd fuerit, vel non fuerit apta.) Item assero lethalitèr peccasse eumdem Baptizantem non habita Parochi facultate nequè expressa, nequè rationabilitèr præsumpta; nisi fortè ignorantia iuris, & facti omnes coràm Deo à culpa

culpa excuset. Videantur quæ dicam *infrà*, *num.* 15.

3 Ad *secundum* respondeo, Baptismum fuisse nullum, supposito quòd non fuerint expressæ tres personæ, dicendo *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quamuis implicitè intelligi possint per verba: *In nomine Dei Vnius, & Trini.*

4 Ad *tertium* assero, Baptizantem etiam extrà necessitatis casum sinè proprij Parochi licentiam filium, seù quemcunquè nullam incurrere censuram, nequè irregularitatem, licèt non defuerit, qui doceat fieri irregularem.

5 Ad *quartum* affirmo peccasse grauitèr parentes infantis petentes à Sacerdote non proprio illius, vt istum Baptizet nulla habita facultate à proprio Sacerdote, nàm ab isto rem in materia graui illicitam petunt, & volunt.

Responsio latè scripta.

6 Quia in suprà data mea responsione oretenùs dixeram inualidum fuisse Baptismum à præfato moderno Sacerdote collatum sinè expressione *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quæ fuit ipse à quodam Sacerdote, communitèr habito prò docto Theologo Morali, necnon in Canonum scientia versato, an contrà meam responsionem sustineri possint, validum esse Baptismum, prolatis prò forma his verbis: *Te Baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini*. Huius Theologi responsio mihi Venetias missa, fuit ista.

Prò validitate Baptismi à nouo Sacerdote ministrati cum verbis: Te Baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini, videtur facere, quòd Sacramentorum forma non variatur vtendo nominibus idem significatum formale habentibus, proùt videntur significare Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum verba, in nomine Dei Vnius, & Trini.

Item, quia in libro Act. Apostolor. cap. 8. dicitur, quòd viri, & mulieres Baptizabantur in nomine Christi; ergò à fortiori valebit Baptismus in nomine Dei Vnius, & Trini; & hoc conforme est Concilio Florentino, quod definit formam sufficientem ad Baptismum esse illam, in qua exprimitur actus baptizandi cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, sicque huiusmodi forma censeri potest adhibita in verbis: Te baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini. Ad hæc responsionem expecto &c.

Igitur statìm respondi vt sequitur.

7 Poterat Dominatio Tua prò se adducere Caietanum, *quæst.*

quaest. 66. art. 5. credentem formam Baptismi sufficere traditam per nomina denotantia Diuinas personas quamuis non expressas cum nominibus *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Verùm licèt huius Authoris opinio daretur esse speculatiuè probabilis, nullatenùs tamen est talis practicè, vt asserit meae Religionis Salmanticense Collegium *tom.* 2. *tract.* 6. *disp.* 2. *num.* 124. & idem dicunt alij.

8 Hinc assero esse omninò tenendum, quòd de necessitate Baptismi debeant adhiberi expresse verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ità D. Bonauentura *in* 4. *dist.* 3. *art.* 2. *quaest.* 3. Scot. *quaest.* 2. *art.* 3. & ibidem Richardus, Paludan. *quaest.* 1. *art.* 3. *num.* 16. Durand. *quaest.* 2. Antisiodorensis, Alexander Alensis, & Marsilius penès eos sequentem Suarez *disp.* 21. *sect.* 4. Ledesma *cap.* 4. Nuñus *quaest.* 66. *art.* 5. *diffic.* 6. Filliuci. *cap.* 3. 4. 9. Palaus *disp. vnic. punct.* 5. Dicastill. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 120. & alij plures. Idem docet Gabriel *art.* 2. *conclus.* 4. & *art.* 1. *dub.* 1. dicens omnes Theologos, Iurisperitos, & Summistas hanc sententiam tenere.

Sic sentit etiam D. Thomas *quaest.* 66. *art.* 5. quia in vnoquoquè idiomate sunt communiora, & vsitatiora verba, quibus res significantur, & cum istis Christus instituit formam Baptismi, clarum est enim quòd communiora, & magìs vsitata nomina, quibus tres personae Diuinae solent denotari, sunt *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, sub quibus in Euangelio Matthaei, *cap. vltimo*, Baptismi forma traditur, non autem sub alijs quamuìs aliqualitèr aequiualentibus; & ideò licèt dicatur formam Sacramentorum non variari adhibendo alia verba idem formalitèr significantia, tamen esset excipienda forma Baptismi vtpotè expressissimè determinata à Christo Domino, quandò Apostolis imposuit, vt populis praedicarent, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Matth. *loc. cit.*

9 Sic quoquè habetur ex Concilia Florentino sub Eugenio IV. & ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quae Baptismi formam assignant cum expressione *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

10 Sic praescriptum habetur in *can.* 48. (aliàs 49.) Apostolorum, vt conferatur Baptisma *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

11 Deniquè sic esse faciendum constat ex vsu vniuersali Ecclesiæ Latinæ, ac etiam Græcæ, & quia iuxtà sententiam tutiorem sunt conferenda Sacramenta, vt dicam *infrà, num.* 15.

12 Propterea communis Doctorum sententia est, esse mortale peccatum, si in forma Baptismi non exprimatur *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Ratio est, quia omitterentur verba tradita à Christo, & quidèm contra Ecclesiæ consuetudinem. Item quia vteretur formâ incertâ cum periculo faciendi Sacramentum inualidum; adeoquè esset sub conditione rebaptizandus baptizatus sinè expressione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

13 Nec intentum probant verba allata ex *cap.* 8. *Act. Apostolor.* nempè quòd in nomine Christi baptizabantur viri, & mulieres; nàm dicendum est cum Catechismo Pij V. quòd de lege ordinaria iàm non valet, nec vnquàm valuit Baptismus in nomine tantùm Christi; propterea *in cap. Multi sunt, de Consecrat. dist.* 4. Pelagius Papa dicit, *Baptismum datum solummodò in nomine Christi, esse nullum*. At si dicatur Apostolos aliquandò Baptizasse in nomine tantùm Christi, asserendum est id fecisse ex singulari reuelatione, & priuilegio. Benè verum est, quòd certum non est, Apostolos non nominasse alias personas, & eâdem formâ, quam Dominus noster seruari mandauerat, scilicèt *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

Ad rem præsentem faciunt tradita ab eodem Catechismo *cap. de Baptismo*, ex Ambrosio, & Basilio his verbis: *Quòd si etiam aliquandò tempus fuisse dicendum est, quòd Apostoli in nomine tantùm Domini Iesu Christi baptizarent, id quidèm Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet, vt initio nascentis Ecclesiæ, Iesu Christi nomine prædicatio illustrior fieret, diuinaque, & immensa eius potestas magìs celebraretur &c. Quamquàm Diuinum fortassè videri potest, an huiusmodi formà Apostoli aliquem baptizauerint, si Ambrosij, & Basilij Sanctissimorum, & grauissimorum Patrum authoritatem sequi volumus, qui ità Baptismum in nomine Iesu Christi interpretati sunt, vt dixerint, his verbis significari Baptismum, non qui à Ioanne, sed qui à Christo Domino traditus esset; tametsi à communi, & vsitatâ formâ, quæ distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent. Atquè hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas vsus videtur, cùm inquit*; Quicunquè in Christo Baptizati estis, Christum induistis, *vt significaret in Fide*

Christi,

Christi, nequè aliâ tamen formâ, quam idem Saluator, & Dominus noster seruandam praeceperat, baptizatos esse.

14 Ad illud, quod Dominatio Tua prò valore Baptismi affert ex Concilio Florentino dicente, formam sufficientem ad Baptismum esse illam, in qua exprimitur actus baptizandi cum Sanctae Trinitatis inuocatione: Respondet Noster Franciscus à Iesu Maria *in Cursu Theologiae Moral. tom. 1. tract. 2. de Sacram. Baptismi, cap. 3. punct. 4. dub. vnic. num. 34.* quòd si locus dicti Concilij inspiciatur, legenti constabit ex paulò antè ibi definitis, qualitèr nomine *Trinitatis* intelligat Concilium ipsas tres personas distinctè expressas; vndè non erit sufficiens forma Baptismi, si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.*

15 Censeo me iam satis respondisse obiectis meo asserto *suprà, sub num. 3.* vbi dixi inualidum Baptismum sinè expressione *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quòd si dicas Domine mi, modernum Sacerdotem licitè adhibuisse formam probabilitèr sufficientem prò valida Baptismi collatione cum verbis: *Te baptizo in nomine Dei Vnius, & Trini*; ego dico tibi, caue (si non aduertis) nè talia affirmes, vtpotè damnata ab Innocentio XI. proùt videre poteris primam propositionum ab ipso condemnatarum asserentem. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Quarè cum certò teneam, te non fore negaturam, tutiùs esse prò valore Baptismi exprimere in eius forma nomen *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, certus quoquè sum, te scriptis meis fore subscripturum.

16 Hactenùs dicta *à num. 7. vsquè ad 15.* prò responsione ad epistolam *numero sexto* suprà relatam sufficiant; nàm ex illis satis probatum remanet, baptizatum in casu nostro esse sub conditione rebaptizandum; & modernum Sacerdotem grauitèr peccasse adhibendo modernam formam contrà communem Ecclesiae vsum in re graui.

Item mortalitèr deliquit Baptismum conferendo sinè aliqua licentia proprij Parochi ipsius baptizandi, quamuìs inualidum fecerit Sacramentum, perindè enim est talis inualiditas ad abusum, seù vsurpationem alienae iurisdictionis in re graui, supposito quòd extrà necessitatem infantis mori non periclitantis id praestiterit. Ità omnes docent, & nominatìm N. Franciscus *vbi*


 suprà

suprà, sed cap. 4. puncto 4. num. 40. & præsertim quia in casu nostro fortasse probabilitèr fuit validus Baptismus.

17 An autem præfatus Sacerdos alienam ouem absquè debita facultate baptizans contraxerit aliquam censuram, vel irregularitatem; negatiuè respondeo, quia hæc pæna nullibi reperitur assignata. Sic notant Machado *lib. 4. p. 2. tract. 2. documento 9. num. 4.* Comitolus *in Respons. var. quæst. 6. in principio.* N. Francisc. a Iesu Maria *d. num.* 40. & alij. At fieri irregularem censet Armilla *verb. Baptismus, num.* 50. idque probat ex *cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante.* Verùm in eo capitulo non decernitur hoc, sed tantùm illud loquitur de Clerico actum exercente alicuius Ordinis, quem non habet. Sic quoquè Syluester *in verbo Baptismus 3. quæst. 1.* asserit irregularitatis expertem esse eum, qui extrà necessitatem baptizat aliquam personam, quam iure baptizare non potest; & Syluestro, ac alijs irregularitatem in dato casu non recognoscentibus etiam ego adhæreo, sicuti neque excommunicationem incurrisse præfatum modernum Sacerdotem cum citatis Doctoribus admitto.

18 Vltimò quoad parentes offerentes prolem suam Parocho non proprio, seù Sacerdoti alieno baptizandam sinè licentia proprij, asserendum est peccare grauitèr. Ità Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 2.* & Barbosa *de officio, & potestate Parochi, part. 2. cap. 18. num. 1.* cum alijs.

Si verò tùm nouus Sacerdos, tùm infantis parentes absente proprio Parocho, de licentia istius licèt non expressa, saltèm rationabilitèr præsumpta in casu nostro fuerint operati, tunc à culpa essent immunes, quia talis præsumptio sufficiens dicitur à Miranda *in Manuali Prælator. tom. 1. quæst. 43. art. 1.* & ab Henriquez *cap. 29. num. 2.* & sic solùm proptèr exhibitionem formæ non consuetæ esset peccatum mortale proùt suprà notaui.



IN-

INTERROGATIO IX.

An Capellanus pinguem habens litigiosam Capellaniam, si prò huius manutentione redditus omnes in lite plurium annorum expendit, quo tempore nullam Missam celebrauit, teneatur posteà omissas Missas supplere, lite in sui fauorem terminata?

DVm in Cathedrali Ciuitatis Interamnensis Quadragesimalium Concionum cursum peragebam, accesserunt ad me duò Ecclesiastici Doctores, à quibus interrogatus fui, an Capellanus obligatus quotidiè celebrare ex Fundatoris institutione cum assignatione pinguium redditiuum, quos quia debuit omnes insumere in lite prò manutentione suæ Capellaniæ, propterea à Missarum celebratione per quindecim annos durationis litis abstinuit: Lite deniquè in sui fauorem terminata, teneatur ratione excessus emolumenti, quod in posterum recipiet vltrà taxam eleemosinæ in Synodo prò vna Missa præscriptam supplere omissas, & alios adhibere Sacerdotes, cùm id per se ad alias quotidiè obligatus, præstare nequeat?

Responsio oretenùs data cursim.

1 In institutione alicuius Beneficij, vt est Capellania collatiua, idèst Episcopi authoritate erecta, & idem est de non collatiua, scilicèt priuata authoritate facta, est semper attendendum, quibus verbis Fundator vtatur, quia interdùm locus erit Epikeis, seù præsumptionibus mentis dicti Institutoris, interdùm non. Igitur posito Fundatoris dispositionem esse, Capellanum teneri quotidiè celebrare assignato illi copioso emolumento suprà taxam communem, vt in omni euentu tot Missàs dicat, quot redditiuum excessus importat, si aliquas omittere contingat, tunc certè non celebratas supplere teneretur iuxtà ratam emolumenti percepti vltrà præscriptam eleemosynam ab Episcopo prò vna Missa. Si autem absolutè disposuit, Capellanum teneri quotidiè celebrare cum assignatione pinguium redditiuum, tunc istis in to-

tum,

tum, seù totalitèr cessantibus, ac pereuntibus, ad nihil remaneret obligatus; at si solùm ex parte defierint, etiam solùm ad proportionem fructuum, quos recipiet, numerus Sacrorum complendus erit, & quidèm computato excessu solitæ taxæ, nisi censeri possit liberalitèr concesso, proùt à prudenti viro iudicabitur; tamen tutiùs semper erit Fundatori fauere; immò ex obligatione fauendum est in dubio.

2 Ex his infero, quòd cùm Capellanus in casu nostro absolutè institutus nihil de redditibus suæ Capellaniæ litigiosæ vnquàm receperit, sed omnes in lite prò manutentione illius insumere coactus fuerit (& à fortiori cùm simùl de suo patrimonio ad eumdem effectum, vt asserunt expenderit) immunis semper fuit à debito celebrandi Missas, prò quibus nullam habuit eleemosynam; nàm idem est redditus totalitèr perijsse, & totos à lite absorptos fuisse, non enim de proprio, neque de sorte principali, sed de fructibus expensæ sunt faciendæ, qui si omnes prò expensis seruierunt, consequentèr de eis, nec de obligatione Capellano remansit.

3 Post litis victoriam, quamuìs Capellaniam tantùm liberali pingui stipendio dotatam prò quotidiana Missarum obligatione Capellanus nunc pacificè possideat, nihilominùs nullo iure, neque ratione dicti pinguis stipendij, quod de præsenti recipit, & in posterùm recipiet, obligationem habet supplendi Missas tempore litis omissas per quindecim annos; aliàs si supplere teneretur, sequeretur quod non haberet liberè, seù gratìs, quidquid posset euenire, pinguem Capellaniam à Fundatore institutam, & vt talem acceptatam, sed aliam ordinariam, quam si nouisset, fortasse non acceptasset, præsertìm quia perpetuam; contingere enim poterat vt quoquè lis nunquàm, vel saltèm per quinquaginta, aut plures annos terminum non haberet. Dixi, *tantùm liberali pingui stipendio*, quia aliàs præsumendum erit Fundatorem illud assignasse pingue, vt semper numerum Missarum habeat, quamuìs expensæ in aliquo casu essent à Capellano faciendæ.

4 Si deniquè post tot annos deuicta lite incipiat possidere, non video qua prudenti ratione pronunciandus sit obligatus satisfacere prò non lectis Missis, etenim si proptèr pingue emolumentum teneretur, ista obligatio dicenda esset annexa Capellaniæ, adeoquè transire deberet ad successorem, at hoc nullatenùs asserendum

dum est cùm ex mente testatoris (vt suppono) non habeatur expressum, & Iura volunt nulli esse onus imponendum, quandò clarè minimè patet talem obligationem ei competere; ei autem non competere patet quandò illud plùs Fundator concedit Capellano solùm vt amico, vel parenti &c. & sic liberalitèr, & gratìs.

Hactenus tradita probabo fusè ex pluribus, tùm Doctoribus, tum Iuribus, quæ in scriptis nominatìm dabo.

Responsio latè scripta.

5 Loquendo de obligatione Capellani obligati quotidiè celebrare in aliqua Capella, seù Altari, quærunt Doctores varia dubia:

Primum est, an teneatur semper Sacrificium applicare prò Fundatore, vel satisfaciat si cum sola præsentia Missam dicat, prò qua eleemosynam recipiat à tertio, cui illius fructum applicet.

Secundum est, an quamuis prò Fundatore teneatur semper Sacrificium offerre, possit nihilominùs aliqua Sacra omittere, ac alteri, vel sibi applicare; & an Capellanus obligatus celebrare quotidiè, possit Missam aliquam omittere.

Tertium est, an Missas omissas prò ægritudinis suæ impedimento, debeat posteà istas per alium supplere.

Quartum est, quid sit dicendum, si eius Capellaniæ redditus sint tenues, aut in infirmitate eos consumpserit, aut alitèr omninò defierint, vel ex parte.

Quintum est, quid sit dicendum, si pinguis census Capellaniæ fuerit per aliquot tempus à Capellano receptus, vel nunquàm, aut si perijt, vel decreuerit.

6 Ad *primum* dico, si petitio in sua dispositione sit absoluta, vt v.g. *relinquo decem scuta Caio, vt tot Missas recitet*, nulla facta temporis, vel loci assignatione, in tali casu præsumitur velle prò se applicationem solam; nàm talis est communis vsus sic intelligendi mentem testatoris, tamquàm si daret vnum Iulium prò vna Missa, certum enim esset, velle prò se applicationem in quouis loco faciendam.

Si verò tenor dispositionis, seù petitionis sit, *Volo vt tot Missæ cele-*

celebrentur in tali loco, vel Ecclesia, nec aliud adsit, quòd alitèr persuadeat, tunc solam exigit præsentiam; quia Sacerdos nisi clarum habeat fundamentum imponendi sibi onus, hoc sibi imponere non tenetur; & præsertim quia per solius loci assignationem, videtur dantem eleemosynam voluisse consulere, vel populi commoditati prò audienda Missa, vel talis loci honori, nullo habito respectu ad applicationem.

Quandò igitur ipse disponens petit solam præsentiam, poterit Sacerdos Missam applicare prò alio, & ab isto stipendium recipere; secùs quandò applicationem simùl petijt.

At si dispositio petentis Missas contineat assignationem temporis, ac etiam vnâ cum loco, attendendus benè est sensus huiusmodi dispositionis, quæ si loquatur sic: *Volo vt singulis diebus Lunæ dicantur tot Missæ*, tunc quia talis dies assignatur animabus Purgatorij, patet Fundatorem petijsse applicationem prò illis. At si dispositio dicat: *Volo vt celebretur Missa die Dominico*, vel *die Festiuo*, vel *celebretur Missa die Dominico in tali Ecclesia*, videtur regularitèr fuisse petitam solam præsentiam, vt sic Fideles Missam audiendi commoditatem habeant, nisi ex aliqua circumstantia argui possit fuisse exigitam etiam applicationem, proùt esset, si dispositio Fundatoris peteret Missam *de tali Sancto, cuius nomen habeo*, seù *quem meum Protectorem, ac Deuotam teneo*; huiusmodi enim petitio ex communi intelligentia constat esse de tota Missa.

Sic ex dictis sub hoc numero poterit dignosci, quandò ab Institutoribus Capellaniarum exigita sit sola præsentia, vel sola applicatio Missæ, vel velint vtramquè; & ità docet Thom. Tamburin. *in Methodo Celebrandæ Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 19. & seqq.*

Tamen Barbosa *de Potest. Episc. tom. 2. alleg. 24. n. 35.* Bonac. *de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 2. num. 13.* & de Lugo *de Eucharist. disp. 21. sect. 1. num. 23. & sect. 2. num. 42.* asserunt, quòd si Fundator in sua dispositione dicat: *Instituo in tali Altari Capellanum, qui quotidiè celebrare debeat*, vel similia verba adhibeat, præsumendum est velle tùm præsentiam, tùm applicationem; nàm quandò non constat de contrario, in tali dubio, stare opportet communi intelligentiæ, quæ est, petentem Missam velle sibi applicari: Et prò ista sententia afferunt Authores citati

tati

tati Decretum secundum intèr alia Sacræ Congregationis Concilij sub Vrbano VIII. edita *die 21. Iunij 1625. de Celebratione Missarum.*

Sed quoad hoc Sacræ Congregationis Decretum, obseruat Tamburinus *loc. cit. num.* 25. ipsum loqui de institutis cum onere applicandi Missas prò Fundatore, vel prò dantibus eleemosynam, non verò de ijs, qui ad solam præsentiam obligantur, qui quandò ad hanc solam præsentiam censeantur teneri, remanet explicatum *suprà ab initio huius sexti numeri, vsquè ad vers. Tamen.*

Circa prædicta refero duas opiniones: *Prima* est Graffij *de Miss. celebrat. tom. 2. cons.* 3. & Ioannis de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *sect. 2. num.* 42. dicentium, quòd petens Missam, semper intendit Sacerdotem obligare ad id, quod eidem petenti vtilius est. *Secunda* est Aloysij Riccij *tom. 3. in Praxi rerum quotid. Eccles. for. res.* 359. qui docet, Missam à testatore legatam absquè loci assignatione, esse celebrandam in loco sepulturæ ipsius testatoris. Sed vtramquè sententiam refellit Tamburin. *vbi suprà, num.* 24. & quidèm *Primam*, quia nisi petens Missam aliquo modo se declaret, non præsumitur sic absolutè, quòd totum velit, quia de facto non semper à petentibus totum intenditur, vt ostensum est *suprà sub præsenti numero, vers. Ad primum dico*, & *seqq.* vndè etiam Suarius *tom. 4. de Relig. tract.* 8. *lib. 2. cap.* 17. *num.* 7. habet hoc dictum: *Hæc Regula maximè in oneribus imponendis seruanda est: Si voluisset expressisset.*

Secunda sententia, quæ est Riccij est consulenda, at verum non est, semper testatorem voluisse præsentiam in loco sepulturæ, stante quòd locum non assignauerit nec verbis expressis, nec verbis saltèm aliquo modo suam mentem indicantibus, proùt aduertit etiam Portel *in Dub. Regular. verb. Missa, num.* 13. & *in Respons. part. 2. cas.* 19.

Demùm noto, quòd si omnibus inspectis, dubium remaneret, an Fundator tùm præsentiam, tùm applicationem petierit, vtramque voluisse resoluendum erit, quia prò illo stat possessio. Tambur. *loc. cit. num.* 25. *in fine.*

7 Ad *secundum* dico, certum esse, quòd si Capellanus expressè ac limitatè teneatur quotidiè Sacrificium offerre prò Fundatore, non poterit illud prò se, nec prò alio applicare, tamquam si de die in diem singulare stipendium reciperet ab aliquo Sacrificium

 peten-

petente, vt ex se constat; quarè Capellanus, proùt dubium hoc secundum proponitur, nequit nec Missam aliquam omittere, neque aliquam prò se, vel prò alio applicare.

Ad aliud quæsitum in hoc secundo dubio, nempè an Capellanus generalitèr obligatus quotidiè celebrare possit aliquam Missam omittere? Respondent Doctores sic distinguendo: Si Missæ institutio sit directa ad personam Sacerdotis, v.g. his verbis: *Eligatur Capellanus, qui quotidiè celebret*, poterit vnam Missam omittere in hebdomada *ex causà maioris honestatis*, quæ qualis sit intelligenda statim subdam; secùs si sit talis institutio cum additione verborum, *per se, vel per alium*; aut si sit directa ad locum sic, *dicatur quotidiè Missa in tali Ecclesia*, vel *Capella &c.* tunc enim sic institutus nequit vllo die à celebratione vacare. Ità docent Peyrin. *de Priuileg. Regular. tit. 3. in addit. pag.* mihi 405. *num.* 23. Sayr. *in Florib. decis. de Præbend. decis. 6.* & 26. Bonac. *de Sacram. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 2. num. 16. & seq.* Dian. *part. 2. tract. de Celebrat. Missar. res.* 28. & alij.

Dixi suprà, *ex causa maioris honestatis*, qualis esse potest deuotio, dispositio, aut euitatio peccati, mortalis tamen, vt aduertit Glossa *in cap. significatum de Præbend.* vndè huiusmodi causa non erit illa voluptatis, curiositatis, itineris, aut impedimenti gratià. Hæc habet Lezana *in Sum. tom. 4. verb. Missa, num.* 42. Scio Leandrum *de Sacram. tom. 2. tract.* 8. *disp.* 5. *quæst.* 17. dicere, posse Capellanum dictam Missam omittere etiam quacunquè ex causà, vt itineris, oblectationis &c. ratione consuetudinis introductæ ob humanam fragilitatem, sed hoc non approbo, nec est tenendum. Vide *infrà, num.* 10. *v. notat.*

Quod dictum est de Capellano, procedit tùm prò sæculari, tùm prò Regulari, dummodò obligatio sit directa ad personam Regularem particularem, non verò ad Conuentum, quia si sit facta Conuentui, tunc ab alijs Religiosis essent supplendæ Missæ omissæ. Lezana *loc. cit. num.* 41. *& seq.*

Non desunt afferentes, posse dictum Capellanum intrà annum celebrare per quatuor, aut sex vices prò seipso, vel prò sibi valdè coniuncto ad aliquam specialem gratiam Dei consequendam, eò quia sic rationabilitèr potest præsumi de pio Fundatore, qui si de tali casu cogitasset, aut si interrogatus fuisset, non negasset. Ità Nald. *verb. Missa, num.* 7. & Homobon. de Bonis *in Consult. Moral.*

Moral. tom. 2. part. 7. respons. 52.

Notandum est, quòd quandò potest prædictus Capellanus licitè, & ex honestate vacare à celebratione Missæ impositæ, iuxtà tradita *suprà*, non potest Missam dicere prò stipe, sed prò Charitate in sui, vel parentum, aut amicorum vtilitatem, quia nimis durum alias esset Sacerdotem obligare, vt nunquàm prò se, ac prò suis possit Missam aliquam dicere. Ità affirmant Bario. *in Aphorirm. lit. C. verb. Capellanus*, & Peyrin. *de Priuileg. Minimor. tom. 3. cap. 1. num. 23.*

8 Ad *tertium* respondeo certum esse, quòd Capellanus obligatus quotidiè celebrare per se, si sit legitimè impeditus, v.g. quia est carceratus, vel infirmus &c. non tenetur; nemo enim ad impossibile tenetur, vt nemo negat.

An autem teneatur statìm supplere per alium, nè gratìs stipendio recepto fruatur? De hoc dubio agunt Doctores cum distinctione procedentes; nàm vel impedimentum est longum; vel est breue: Si sit breue, non tenetur, quia meritò præsumitur noluisse Fundatorem cum tanto rigore obligare Capellanum, nisi expressè constet de Fundatoris mente, quòd voluerit Missam nunquàm deesse. E contrà loquendo de impedimento longo, stat præsumptio, voluisse vt Missa per alium suppleatur, præsertìm si sic se declarauit.

Sed qualis infirmitas, seù quale impedimentum sit iudicandum breue, censent Doctores communitèr remitti arbitrio prudentis iuxta *l. si cùm dies, de recept. arb.* Barbosa *de Potest. Episc. part. 2. alleg. 24. num. 31.* assignet octo, vel decem dies. Bonac. *de Eucharistia, disp. 4. quæst. vlt. punct. 8. num. 17.* quindecim dies. Petr. Nauar. *de Restit. lib. 2. cap. 2. num. 210.* vnum mensem. De Lugo *de Euchar. disp. 31. sect. 2. num. 49.* duos menses, & *num. 34.* citat, & approbat sententiam Ledesmæ, & Villalobos assignantium tres menses. Probabiles sunt omnes istæ opiniones, dummodò ex circumstantijs minimè colligatur maiorem breuitatem exigi. Cæterùm notandum est, dictas opiniones non habere locum in Monasterijs, vel Ecclesijs obligatis Missas quotidianas celebrare, quia tunc impedimentum vnius Sacerdotis non eximit ab onere supplendi per alium, & idem est de Missis manualibus, & de annuis legatis. Quære *infrà num. 9. vers. Notat.*

Hìc excito dubium; an stante obligatione Capellani Missas

omissas supplendi quandò eius infirmitas, seù eius aliud impedimentum fuit longum, debeat computare totum tempus, vel solùm tempus excedens breuitatem assignatam, v. g. duos menses? Respondeo me putare non esse supplenda Sacra relicta tempore breuis impedimenti. Ducor, quia sicutì si conualuisset, vel si ab impedimento liber euasisset iuxtà tamen tradita *suprà sub hoc numero 7. vers. An autem*, & *vers. Sed qualis*, non tenebatur supplere Missas non lectas tempore breuis impedimenti (& hoc ex mente saltèm præsumpta Fundatoris) ità nunquàm tenebitur prò tali tempore, quod licèt postea incipiat protrahi ad longitudinem, non propterea inducit obligationem in iàm deobligato, sed solùm incipit obligatio non lectas Missas supplendi, quandò tempus impedimenti incipit esse longum. Ratio esse potest à pari de furante materiam leuem, ad cuius restitutionem tenetur sub veniali, at si addat aliud furtum, cum quo materia leuis reddatur grauis cum obligatione restituendi sub obligatione mortali, satisfaciet restituendo tantùm quantitatem, per quam materia leuis creuit in grauem, remanente tamen priori statu obligationis sub veniali proptèr modicum, quod remanet. Ità docent Petr. Nauar. *de Restit. lib. 3. cap. 1. part. 1. dub. 8. num. 67.* Cardinal. de Lugo *de Iusti. lib. 1. disp. 16. sect. 3. num. 41.* & Rebell. *de iusti. lib. 3. quæst. 15. sect. 4.* Immò Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 1. num. 10.* cum Molina idem docet de eo, qui furatus est materiam grauem totam simùl; si materiam paruam retineat, & reliquum restituat; nàm etiam iste leuitèr peccat, cùm leue sit, quod retinet. Sic respectiuè loquendo de casu nostro, Capellanus nullitèr obligatus ad Missas omissas tempore breuis impedimenti, si hoc postea augeatur in longum, statìm oritur obligatio supplendi, incipiendo ab inchoatione transitus temporis breuis ad qualitatem longi, remanente semper deobligatione prò antecedente tempore breui.

Deniquè noto, peccare Capellanum ponentem voluntarium impedimentum, proptèr quod non possit celebrare proùt tenetur per se, non per alium, vndè tenetur illud remouere, vt possit pactum initum cum Fundatore implere, adeoquè si non impleat facit contrà iustitiam cum obligatione restituendi. De hoc latè agit Thom. Tamburin. *in Method. Celebrand. Miss. lib. 3. cap. 6. §. 2. per tot.*

9 Ad

9 Ad *quartum* dico, quòd quicunquè simplicitèr, & finè adiecto, spontè acceptat Missas exiguo stipendio dicendas, tenetur totum fructum Missæ applicare ei, qui tale stipendium dedit; siquidèm scienti, & liberè consentienti non fit iniuria. Ità Petr. Marchant *in Tribunal. Sacramental. tract. 2. part. 2. tit. 4. quæst. 2. res. 6. fol.* 224. Igitur Capellanus sibi imputare debet, quòd scientèr acceperit tenuem Capellaniam, vt expressè habet Passerinus *de Hominum statib. tom. 2. quæst.* 187. *art. 4. num.* 1046. *ad medium*. Sed vide *num.* 10. *vers. Circà*.

Quòd si redditus Capellaniæ sint tenues, adeoquè Missarum reductio sit facienda, in tali casu ad Sedem Apostolicam erit recurrendum, iuxtà primum ex Decretis Sacræ Congregationis Concilij authoritate Vrbani VIII. editis *die* 21. *Iunij* 1625. *De Celebratione Missarum*.

Notat Busenba. *in Medulla Theolog. Moral. lib. 6. tract. 3. cap. 3. dub. 1. num. XII.* Capellanum quidèm teneri Missas omissas in longa infirmitate per se, vel per alium supplere, proùt ego quoquè dixi *suprà, numero antecedenti*, nisi redditus sint nimìs tenues, aut in morbum absumantur. Ità ille contrà Syl. & Azor. & prò se citat Bonac. ex Rodriq.

Si fructus assignati prò celebrandis Missis perierunt in totum ex culpa Sacerdotis, iste in omnium sententia teneretur per se, vel per alium Missas celebrare, & supplere; nàm eius culpa debet nocere ipsi, non verò fundatori. Si autem finè culpa Sacerdotis perierunt in totum, tunc cessat in totum obligatio celebrandi Missas. Ratio est, quia deficiente fundamento cessat id, quod illud præsupponit; vndè cùm fundamentum obligationis celebrandi Missas sit sustentamentum Ministri, consequentèr destructo totalitèr fundamento, destructa simùl remanet dicta obligatio. Item, quia ex natura rei, intentio fundantis Capellaniam, & illam acceptantis fuit, vt cessante fundo in totum, vel in parte, cesset census vel totus, vel prò rata, vt constat ex Constitutione Pij V. *de censibus edita anno* 1568. §. 1. Item, quia in conuentione intèr fundantem Capellaniam, & Capellanum intimè inest ista conditio, vt Missarum celebratio tandiù duret, quandiù durabunt fructus; quæ conditio semper tacitè intelligitur in obligationibus factis contemplatione fructuum; nempè si fructus nascantur, *l. interdùm* 73. *ff. de verb. oblig.* Castren. *in*

l. e.

l. ex conducto, §. *si vis*, *ff. locati* 2. & *in l. Imperator*, *num.* 8. *ff. ad Trebell.* vndè S. Congregatio *in Decret. de Celebrat. Missar.* vult esse semper conseruanda bona immobilia fructifera, quæ respondeant oneri Missarum. Sic tradit Passerin. *loc. cit. num.* 1037. vbi prò se refert Fraxinellum, Honcalam, Perez, Riccium, Lezanam, Bordonum, Alphonsum de Leone, Tamburinum, Peyrinum, Cauinam, Franciscum Lugo, Garziam, & Pasqualigum *centuria* 4. *quæst.* 342. & *de Sacrif. noua leg. quæst.* 1074. Vide adhùc *infrà*, *num.* 10. *vers. Dixi*.

Vlteriùs circà mox dicta sunt omninò videnda quæ subdo *numero sequenti*.

10 Ad *quintum* dubium vt distinctè respondeam, noto quòd quatuor quæsita in illo continentur.

Primum est, quid agere debeat Capellanus, qui in anno fertili pingues habuit redditus; deindè in alio anno sterili minores solito stipendio recipit.

Secundum est, si nunquàm stipendium accepit.

Tertium est, si stipendium perijt.

Quartum est, si stipendium decreuit, quod pinguius solito est assignatum.

Ad *primum* respondent Doctores communitèr, quòd si Sacerdos per annos antecedentes plùs percepit de fructibus, quàm attentâ taxâ iusti stipendij essent habendi, tenetur contingente anno sterilitatis hac fertilitate compensare; nàm sicutì stetit suo commodo, ità stare quoquè debet incommodo. Pasqualig. *de Sacrif. noua legis*, *quæst.* 1075. *num.* 2. Perez, & alij.

Ad *secundum* dicitur, quòd si Capellanus nihil recipit prò tempore, quo fructus perierunt, ad ratam talis temporis nullam habet obligationem. Ratio est, quia fructuum perceptio, & obligatio sunt correlatiua, & ideò ablato vno, aufertur aliud. Passerin. *loc. cit. num.* 1038. & idem esse asserit, quandò fructus sunt verè inexigibiles, idest licèt factâ diligentiâ exigi non possint; nàm tunc perindè est, ac si non essent; vndè si nunquàm stipendium accepit, cessat in eo obligatio. Quære etiam *infrà*, *vers. Marchant.*

Ad *tertium* patet responsio ex prædictis *num. antecedenti*, nempè quòd si fructus omninò perierunt, desijt tota obligatio, modò sinè culpa Capellani defierint.

Ad

Ad *quartum* asserit Passerin. *vbi suprà, num.* 1040. quòd quandò stipendium prò Missis assignatum à Fundatore Capellaniæ est pinguius solito, tunc per quamcumquè illius diminutionem, non diminuitur obligatio Missæ, dummodò fructus diminuti sint tales, vt solitum stipendium adæquent; præsumitur enim Fundatorem tali intentione, ac voluntate pinguiores constituisse prouentus. Vide adhùc *infrà, vers. Deniquè*.

Tamen si fructus essent diminuti infrà taxam soliti stipendij, tunc ad ratam cessat obligatio Missarum. Ità Bordon. *ref.* 25. *num.* 38. Alphons. de Leon. *de Offic. Capell. quæst.* 5. *sentent.* 238. Rom. *cons.* 139. *num.* 31. & plures alij, proùt etiam idem est de obligatione annexa legatis. Surd. *cons.* 389. *num.* 9. & DD. *in l. planè, §. si duobus, ff. de leg.* 1. nàm hìc valet argumentum de toto ad totum, & de parte ad partem. *l. qua de tota, ff. de rei vendic.*

Et quia stipendium assignatum est duplex: *Vnum* prò Missis manualibus; *Aliud* prò perpetuis obligationibus Missarum, quod solet esse maius ratione perpetuitatis obligationis; proptereà quæritur, an quandò dicitur cessare obligationem Missarum ad ratam diminutionis soliti stipendij, nomine soliti stipendij intelligatur etiam illud, quod maius solet assignari ratione obligationis perpetuæ, atquè ideò Missæ sint diminuendæ ad ratam diminutionis iusti maioris stipendij respondentis obligationi perpetuæ? Affirmatiuè respondet Pasqualigus *de Sacrific. nouæ legis, quæst.* 1075. *num.* 8. dummodò sint ità diminuti fructus, vt sint minores iusto infimo stipendio, quia si pertingant ad minimum, seù infimum, tunc remanet iustum stipendium, & per consequens etiam obligatio.

Dixi *suprà, num.* 9. *vers. Si fructus*, quòd pereuntibus fructibus totalitèr ex culpa Sacerdotis, non cessat obligatio, sed tota remanet, sicutì & remaneret ad ratam fructuum, qui ex parte culpa eiusdem perierunt; quocircà notandum est, quòd si ex culpa solius Prælati cessent fructus, cessat Missarum obligatio, quam habebat Ecclesia, quia ista ob solius Prælati culpam nullum præiudicium sentire debet. Rota *coràm Caputaque. decis.* 128. *n.* 3. *part.* 2. Seraphin. *decis.* 292. *num.* 2. Eadem Rota *in Fesul. Prioratus*, 3. *Martij* 1617. *coràm Pamphilio*, & *decis.* 427. *num.* 3. *part.* 4. *recent.* & aliàs sæpè.

Circà

Circà dicta *suprà, num. 9. vers. Ad quartum*, etiam Bordonus *ref. 25. num. 30.* putat Beneficiatum accipientem tenuem Capellaniam non posse Missas minuere, & hoc approbat etiam Pasqualigus *loc. cit. quæst.* 1095. quia Capellanus debet sibi imputare, quòd scientèr talem acceperit, vndè quoquè ab isto expensæ necessariò factæ prò reparatione, conseruatione, & vindicatione fundi, non sunt resarciendæ, tamen teste Passerino *tom. 2. de Hominum statib. quæst. 187. art. 4. num. 1046. post medium*, asserit, hoc non habere locum, quandò fiunt expensæ extraordinariæ pro fundo.

Marchant. *in Tribunal. Sacramental. tom. 2. part. 2. tract. 4. quæst. 2. resol. 7.* ait, quòd si Fundatio vel in totum, vel in partem absquè culpa Sacerdotis, vel eius, qui illam obtinet, omninò perierit, vel stipendium Missarum recipi non possit, Sacerdos non tenetur Missas celebrare, nisi ad ratam partis fructuum, siuè stipendij, quæ remanet, siuè quam recipere potest. Ratio sumenda est ex iustitia, & correlatiuo obligationis; non enim tenetur Sacerdos celebrare, nisi quia recipit; ergò vbi non recipit, nec stat per illum quominùs recipiat, celebrare non tenebitur, aut nonnisi iuxtà rationem eius, quod recipit. Si verò non omninò perierit, sed tantùm ad aliquod breue tempus, v. g. ob vastationem aliquam Patriæ, stipendium ordinarium non recipiat, tenetur; nàm huiusmodi casus communitèr includuntur in istis pactis, & conuentionibus.

Notat idem Marchant. *loc. citato*, in Fundationibus, & conuentionibus diuturnis, vel perpetuis prò celebratione Missarum in loco, Capella, vel certis diebus semper includi rationabiles Epikeias, ob communia accidentia, quæ contingere, vel euenire possunt loco, bonis, vel personæ Sacerdotis &c. Ex quo inferunt multi, Capellanum, qui ratione Capellaniæ quotidiè celebrare debet, posse interdùm, occurrere necessitati, vel necessitate honestà, vnà, aut alterà die vacare, immò aliquotiès prò se offerre, quia hoc est rationabile, & velut Epikeia rationabilis, quæ in Fundatione continetur. Hactenùs ille prò se afferens etiam *cap. significatum, de Præbend.* Vide *suprà, num. 7. & 8.*

Deniquè est obseruandum, quòd quamuis intèr causas iustas reducendi Missas ponat Tamburin. *in Methodo celebrandi Miss. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 11.* si ad reficiendum Molendinum v. g. vel do-

mum

mum, vndè fructus prò Missis soluendi sunt, sint factæ extraordinariæ expensæ, vel ad litigandum &c. tamen hoc intelligi debet, si relictum non sit pingue, nàm si colligantur fructus abundantiores, expensæ non debent diminuere Missas, cùm omnes annui fructus sint obligati prò Missis. Ità dicit Bordon. *de Legatis, cap.* 15. *quæst.* 26. *num.* 58. & ratio est, quia Doctores communitèr asserunt, mentem testatorum pinguia stipendia assignantium prò Missis esse, vt illud plùs inseruiat prò expensis, si quæ fortasè erunt faciendæ in casibus euenturis, atquè ideò integro semper remanente Missarum numero, vt notaui etiam *suprà, num.* 10. *vers. Ad quartum;* vndè si illud plùs non fuerit relictum intuitu Missarum, sed tantùm, & clarè intuitu Sacerdotis liberalitèr, & gratìs, quia est consanguineus, valdè amicus, benefactor &c. testatoris, tunc dictum plus non remanet obligatum prò Missis, nàm sic intendit testator. De isto præsumi potest, nolle Capellanum Missas v.g. per 20. annos omissas, eò quia censum prò fundo insumpsit in lite, teneri vnica exbursatione ratione pinguis stipendij illas supplere, proptereà sufficiet si singulis annis, attento soliti stipendij excessu rationabilem quantitatem iudicio prudentis, pij, & docti viri supplere faciat. Quòd si antè complementum ad mortem deueniat, faciet prò eo legatum quantùm potest, & quoad reliquum notificet statum Capellaniæ ad successorem cum onere transituræ. Sic censeo exigi ab æquitate.



INTERROGATIO X.

An Filius immeritò, sed ignorantèr, à Patre exhæredatus, potuerit licitè per falsum testamentum exhæredationem reuocare, adhibita quadam curiosa deceptione?

E Venetijs Patauium pergebam in naui, in qua erat quidam Iuuenis Nobilis natione Germanus, qui ad Legalium studiorum prosequutionem in Patauina Vniuersitate reuertebatur. Accessit iste ad me dicens, se velle mihi casum secretum conferre. Respondi, dicat Dominatio Vestra. Dixit: Sciebam me à Patre meo (immeritò, sed ignorantèr) in eius testamento fuisse exhæredatum, ex motiuis contrà me falsò ei relatis ab iniusto accusatore, vt ad istum hæreditas deueniret. Infirmatus est idem Pater meus, & iam in mortis articulo constitutus, sensibusque destitutus, ego conueni cum quodam homine Patri meo vix dissimili, vt se Patrem meum simularet, atquè in illius lecto se poneret, vbi aliqualitèr clausis cubiculi fenestris, factaque tali obscuritate, vt detegi nequiret deceptio, delato interìm intrà aliud cubiculum moribundo. Sic factum fuit, & vocato Tabellione cum testibus in præsentia ficti moribundi, iste reuocauit testamentum exhæreditatis, hæredemque me instituit, facti fictione omnibus ignota, statim enim verus moribundus post discessum testium, & Notarij fuit in proprio lecto restitutus, vbi intrà mediam horam coram vno Sacerdote, & alijs de eius domo decessit. Ego igitur hæreditatem sic accepi, quarè legata in testamento veri mei Patris solui. His mihi narratis, me interrogauit, quid de hoc facto iudicarem, cùm reuerà nunquam patrem occidere, vel eius occisionem voluerit, quamuis cum eius inimicis conuersationem habuerit non grauitèr talibus, ob quas causas diuersimodè à veritate delatas patri, iste ad exhæredationem deuenit;

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Dari plures causas, ob quas potest Pater filium exhæredare, conceditur communitèr à Iurisperitis, ità tamen vt licèt vna sufficiat, ista in testamento est exprimenda, & quidem necessariò, aliàs exhæredatio non valet, quamuìm expressio sit facta tantùm in genere. Benè verum est, quòd aliquandò in aliquibus casibus sufficere potest expressio causæ facta solùm in genere. Est ergò semper in testamento aliquo modo exprimenda causa exhæredationis, aliàs testamentum est nullum.

2 Nec satìs est prò validitate testamenti exhæredationis causas fuisse in eo expressas, sed requiritur earum veritas, & subsistentia, quæ non datur in præsenti casu, cùm per falsam, immò & fortasè malitiosam accusationem testator deceptus, & errans suam fecerit dispositionem: his iuxta facti veritatem præmissis, patet inualiditas testamenti, adeoquè per errorem, deceptionemque iniustè hæreditate priuatus, debet in vtroquè foro verus hæres pronunciari.

3 Hinc in casu nostro de iure operando erat omittenda per fictum testatorem inualidæ exhæredationis reuocatio, sed post mortem veri testatoris prætensa inualiditas fuisset iudicialitèr probanda. Cæterùm cùm hoc factum non sit, nec appareat qualitèr fieri possit, nisi se prodant, qui nemini notam fictionem adhibuerunt, puto in præsenti nihil vlteriùs esse mouendum, sed standum facto vtpotè nemini iniurioso, nempè non patri, quia si veritatem sciuisset, filium non exhæredasset, immò facta exhæredatione si posteà in veritatis cognitionem deuenisset, exhæredationem, certè proùt debebat, reuocasset, nè inualidum testamentum conderet, ac nè filio iniuriam tàm grauem irrogaret per iniustam hæreditatis priuationem: Itèm nequè hæredi per errorem nominato à Patre, vtpotè ab eodem decepto per falsam accusationem, quæ totum inualidat testamentum, tamquàm huius non subsistens fundamentum.

Cùm igitur hæreditas patris iure competat filio, & pater nullum, seù inualidum fecerit testamentum proùt in proposito casu, consequentèr filius dicetur succedere ab intestato, adeoquè hæreditatem tutè in conscientia sibi accipere, & retinere potest,

cùm sit certissimus de inualida patris dispositione, quidquid postea sit, quòd ad euitandas lites in foro externo, vt consequeretur id, quod suum naturalitèr est, aliquam adhibuerit industriam.

Responsio latè scripta.

4 In Iure *Authent. Vt cùm, de appell.* §. *Aliud quoquè Capitulum, coll.* 8. & ibidem §. *Siuè legatur*, variæ præscribuntur causæ, proptèr quas filios possunt parentes exhæredare, nè in eorum bonis succedant, sed de his nihil prò nostro præsenti casu venit dicendum; quænam autem illæ sint, retuli in mea *Arbore omnium opinionum, tom. 3. verbo Hæreditas*, §. 9. *per tot.*

5 Etiam in *Authent. Vt cùm, de appellat. cognoscend.* §. *Causas autem*, plures ponuntur causæ, quarum singula sufficit, vt parentes possint nedùm filios, sed & quosuis descendentes priuare hæreditate, illasque tradunt Couarru. *cap. Raynu. de testam.* & Tapia *lib.* 5. *quæst.* 21. *artic.* 6. *num.* 7. Egomet *loco citato* §. 8. *num.* 118.

6 Tamen non sufficit, patrem habere exhæredandi causam, sed in testamento debet illam exprimere. Bald. *lib.* 1. *cons.* 20. *num.* 7. Et debet esse pura, non verò conditionalis. Cardinal. de Luca *de Fideicommis. discursu* 256. *num.* 8. quia conditionalis videtur in Iure reprobata *per text. in l. etsi perceperit, circà finem principij, vers. purè autem, ff. de lib. & post.* Ità ille cum alijs à se relatis *ibid. num.* 9. Quære *infrà, num.* 8.

7 Sed si causa exhæredationis fuerit expressa tantùm in genere, & non in specie, non releuat, seù non valet. Angel. Aret. *cons.* 79. *num.* 12. *& seq.* Nihilominùs aliqui dantur casus, in quibus valida erit exhæredatio sinè causæ expressione, notat Alex. *Authent. Non licet, C. de liber. præter.* & subscribit *ibi* Iason, apud quos videantur, illos enim hic referre, nullatenùs ad casum, de quo ago deseruiunt, sicuti ex eodem motiuo taceo causas iustas exhæredandi, satìs enim est prò nostro casu duas exprimere, quibus ductus testator pater filium exhæredauit.

Vna causa sufficiens ad exhæredandum est casus homicidij, etiam committendi. Boss. *de bonorum publicat. num.* 30.

Altera

Altera est conuersatio filij cum inimicis patris. Bald. *conf.* 112. *num.* 2. *&* 7. cum limitatione dummodò inimicitiæ sint graues, & quasi capitales.

8 Hæ duæ causæ tanquàm connexæ fuerunt per falsò accusantem expositæ patri contrà filium, vt istum exhæredaret, prout fecit, quas in testamento vel expressit, vel non expressit: *Si non expressit*, testamentum ipso iure est nullum, vndè exhæredatio non tenet. Castrens. *lib.* 1. *conf.* 171. *col.* 3. Bald. *conf.* 395. *lib.* 1. & *Authen. de appell. cognos.* §. *Aliud quoque*, & alij passim. *Si expressit*, & illæ verè subsistant, valida erit exhæredatio ex communi opinione, ratione expressionis, quia aliàs non sufficeret veras causas adesse, nisi etiam exprimantur. Bart. *lib.* 1. *conf.* 20. *num.* 7. & habetur etiam *Authent. Si hodiè, C. de inofficioso testamento*. Quòd si plures causæ expressæ prò exhæredando sint falsæ, vna excepta, ista sufficiens erit, vt exhæredatio valeat. Bald. *conf.* 112. *num.* 2. *vers. Super secundo, lib.* 5. & Mascard. *conclus.* 714. *Exhæredatio, num.* 19. vbi plures citat, & dicit esse communem opinionem; quarè si nulla sit vera, exhæredatio remanet inualida; nàm causa iniusta, & erronea rescindit actum. Cardin. Tusch. *tom.* 1. *lit. C. verb. Causa, conclus.* 140.

9 His prænotatis concludo prò casu nostro, quòd cùm filius in conscientia sua certus sit se nunquàm dedisse patri exhæredationis causam, seù causas, quas per falsam relationem prætendentis hæredem institui, sic deceptus in testamento expressit prò eodem filio exhæredando, iste per consequens potuit licitè, & validè hæreditatem, vtpotè verus hæres, adire, quidquid sit, quòd per fictum testatorem putatum verum tùm à Notario, tùm à testibus exhæredationis reuocationem procurauerit.

10 Igitur factum in nostro casu per suppositum testatorem censeo esse vnum de illis, de quibus Iura affirmant, quòd facta multa tenent, quæ aliàs fieri prohiberentur. *cap. ad Apostolicam, de Regular.* & *l. parte furios. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* Ancharan. *conf.* 404. *num.* 17. & Roman. *conf.* 215. *num.* 5.

11 Item fauet filio in præsenti facto assertum à Card. Tuscho *tom.* 3. *lit. F. Conclus.* 6. *num.* 8. nempè quòd spoliatus potest incontinenti propria authoritate recuperare suam possessionem. *l.* 1. §. *Qui autem, ff. de vi, & vi armat.*

12 Et

12 Et quia clarus error non præiudicat veritati, tollit consensum, & annullat omnem dispositionem, seù obligationem, vt habet Rota *part. 12. recent. decis. 206. per tot.* & tradit Bichi. *decis. 390.* consequentèr cùm in casu nostro pater deceptus exhæredauerit filium, iste in conscientia sua certus, patrem suum dispositionem fecisse ex errore, & propterea nullam, ac absquè consensu, potuit veritate fultus sibi iure debitam hæreditatem procurare, quamuis mediante fictione proùt in præsenti casu; nàm proptèr testamenti inualiditatem, filius succedit ab intestato. DD. communitèr.

13 Deniquè ad abundantiam responsionis addo, quòd si causæ exhæredationis fuissent veræ, & filius illam reuocasset per fictum patrem iuxtà casum propositum, grauitèr vterquè peccassent, & ad hæreditatis restitutionem tenerentur instituto hæredi. Tamen vt exhæredatio valeat, debet eius legitima, & expressa causa probari vera, aliàs potest filius exhæredatus agere quærela inofficiosi, & obtinebit, si causa non probetur. Ità Bald. *cons. 112. num. 1. lib. 5.* Menoch. *cons. 207. num. 34. lib. 3.* plures citat, & esse communem opinionem dicit Mascard. *Conclus. 714. Exhæredatio, num. 9. & seq.* vbi prò vtraquè parte, sed istam tuetur, quam ego quoquè teneo.

14 Cæterùm stante inualiditate exhæredationis in casu nostro, immunis à culpa non fuit adhibita fictio, veniali tamen, quia fuit mendacium leue, vtpotè nemini damnosum. Nequè peccatum fuit translatio moribundi de vno ad aliud cubiculum, & rursùs de isto ad primum, dummodò facta fuerit cum cautelis, nè illi ex motu mors acceleraretur.

15 Prò præsenti interrogatione faciunt tradita *infra Interrogatione 40.*



IN-

INTERROGATIO XI.

An Fratres Fratris, qui patri furatus est, v.g. centum scuta, possint prætendere in diuisione bonorum esse intèr ipsa computanda etiam bona, tùm furata, tùm negotiando cum furatis copiosè acquisita à Fratre.

POstquàm in Cathedrali Nouocomensi cursum concionum per Aduentum terminaui, redij Mediolanum, hìcque venit ad me quidam præfatæ Ciuitatis Nouocomensis Iurisconsultus; meque interrogauit, quid stante quadam doctrina de per industriam acquisitis à fure in vna ex meis concionibus allegata resoluerem de casu sibi proposito, sed potiùs (vt dixit) Morali, quàm Legali, vergente intèr collitigantes Fratres prætendentes esse computandum in diuisione intèr ipsos facienda bonorum, tùm centum scuta ab vno ex illis patri furata, tùm quidquid cum illis è domo aufugiens Patauium, ibi negotiando in magna copia acquisiuit, & ad paternam domum reuersus, patrem reperit ab intestato obijsse.

Responsio oretenùs data cursim.

1 Casum istam nedùm Moralem, sed etiam Legalem iudico: Quatenus Moralis est, firmitèr resoluo, filium furantem patri quantitatem grauem teneri sub mortali statìm restituere ex proprio peculio, si hoc habeat; si verò non habeat, tenetur post mortem patris in diuisione cum fratribus computare furata. Centum autem scuta à filio surrepta patri, etiamsi sit diues, sunt materia notabilis peccatum lethale constituens.

2 Igitur dicta centum scuta sunt absquè dubio restituenda patri, si adhùc viuit; at post eius mortem restitui debent Fratribus in diuisione bonorum cum ipsis, supposito tamen quòd alitèr non disposuerit pater, proùt disponere poterat, quam dispositionem in casu nostro non fecit, quia ab intestato decessit.

3 Difficultas remanet quoad bona à filio acquisita ex furatis pecunijs, an sint restituenda patri, vel isto mortuo an sint adducen-

ducenda in diuisionem cum Fratribus. Quocircà referam in scriptis quid tùm Moralistæ, tùm Iurisperiti sentiant de furtis Filiorum.

Responsio latè scripta.

4 Lessius *de iusti. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 76. & Dicastill. *de iusti. lib.* 2. *tract.* 2. *quæst.* 9. *dub.* 8. *num.* 183. tenent non peccare mortalitèr filium si patri prædiuiti furetur duos, vel tres aureos; tamen mortalitèr peccare si tot furetur patri artifici, vel angusti patrimonij.

5 Fagundez *in quinquè præcepta Ecclesiæ, præcept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 7. putat esse furtum mortale, si filius furetur à patre mediocritèr penurioso vltrà quinquè regales, secùs si citrà ad honestas tamen recreationes; & idem asserunt Nauarrus, & Rebellus.

6 Cenedo *tract. de Pauper. Re. dub.* 20. *num.* 10. vult, quòd absolutè loquendo, non peccet grauitèr filius furando à patre tantùm bis in anno octo, vel nouem regales.

7 Salas apud Cardinalem de Lugo *tom.* 1. *de iusti. disp.* 16. *sect.* 4. §. 1. *num.* 76. censet, quòd filius patris habentis mille, & quinquaginta aureos annuos, non peccet lethalitèr, si ex dictis aureis furetur viginti, vel triginta; & Cenedo adhæret dictus de Lugo *loc. cit.* cum limitatione, dummodò filius sit adolescens, non autem puer, & pater non sit tenacioris naturæ, & furtum non sit factum ad turpes vsus, sed saltèm ad indifferentes.

8 Cardinalis de Lugo *ubi suprà*, admittit non esse furtum inducens culpam mortalem, si filius Principis patri suo surripiat minùs quàm quadraginta aureos; & in hoc sensu dicendum est fuisse loquutum Bañes *in* 2. 2. *D. Thomæ, quæst.* 66. *art.* 6. §. 2.

9 Relatas Doctorum varias opiniones afferre de furto filiorum suis patribus facto volui, tum vt Confessarij in facti contingentia perpensis circumstantijs prudentèr iudicent quam opinionem amplecti debeant; tùm vt ad resolutionem casus nostri deueniam.

10 Dico igitur, Filius, qui grauis quantitatis, vt sunt centum scuta, furtum fecit patri, tenetur statim restituere ex proprio peculio si hoc habeat; at si non habeat, tenetur post patris mor-

mortem ea in diuisionem cum fratribus computare, nisi fratres totidèm & ipsi furati sint, vel nisi ab ijsdem fiat remissio, vel nisi pater actu condonauerit, aut condonaturus creditus sit, si filius eum rogasset, sed ob verecundiam condonationem non petijt, & agitur de quantitate, quam pater poterat condonare, atquè de qua poterat disponere. Ità docet Thomas Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 4. §. 4. *num.* 6.

11 Ex mox dictis certum remanet, filium teneri centum scuta ab ipso furata patri, cum quibus è domo fugit, posteà computare in diuisionem cum fratribus, qui hoc iure prætendunt, supposito quòd nec ea patri viuenti restituerit, nec ab eo condonationem actu, vel præsumptiuè obtinuerit, nequè post mortem patris fratres ei illa remiserint. Cæterùm an etiam acquisita à fratre ex centum scutis ab eo furatis patri possint de iure ab alijs fratribus prætendi, vt iàm mortuo patre, in diuisionem cum cæteris bonis intèr ipsos adducantur, nullo extante patris testamento, prò resolutione sequentes pono conclusiones.

12 *Prima* conclusio: Si constet filium aliqua bona acquisiuisse ex propria industria, dicuntur *aduentitia*, cum àlijs fratribus non communicanda. *l. cùm oportet*, *C. de bon. qualibet.* & tenent Michalor. *de Fratr. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. Merlin. *de legit. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 26. *num.* 10. & alij.

13 *Secunda* conclusio: Quæ filius acquisiuit ex pecunia paterna immediatè, & de per se, dicuntur bona *profectitia* eidem patri acquisita, post cuius mortem sunt intèr fratres diuidenda. *d. l. cùm oportet*. Mangil. *de imput. quæst.* 34. *num.* 1. Michalor. *loc. cit. num.* 12. & alij.

14 *Tertia* conclusio: Bona acquisita partìm ex pecunia patris, partim ex industria filij, in dubio prò medietate censentur *aduentitia*, & prò alia medietate dicuntur *profectitia*. Si verò appareat, plùs esse tribuendum industriæ filij, vel è contrà, tunc secundùm id, quod iudicabitur facienda erit distributio. Sic Bart. *tract. de Fratr. num.* 2. Gratian. *Discept. forens. cap.* 543. *num.* 16. *& seq.* & Michalor. *vbi suprà*, *num.* 13.

15 Si filius nomine proprio negotiando bona aliqua adeptus sit, ista in dubio præsumuntur *aduentitia*, & id multo magìs procedit, si filius haberet seorsùm à patre, nisi adessent coniecturæ in contrarium, vel nisi nomine patris negotia fecerit, vel nisi

patre viuente communicauerit acquisita in vsum familiæ. Rota *part. 9. recent. decis.* 420. *num. 6. & seq.* & *part. 12. decis. 335. à num.* 4. & Menoch. *de arbitr. cas. 126.* Et quòd sint *aduentitia*, data possibilitate lucrandi ex propria industria, quamuis bona patris administrauerit, probant Rota *d. decis. 335.* & Durand. *decis. 429. num. 2. & seq.* tamen contrarium sentit Gratian. *vbi suprà, cap.* 401. *num. 19.* Et quòd bona *aduentitia* sint illa, quæ filius acquisiuit ex propria industria, & quæ cum fratribus non sint communicanda, notaui *suprà, num. 12.*

16 Sic si filius non habitet cum patre, & negotietur, bona ab eo acquisita dicuntur *aduentitia*; in dubio autem præsumitur prò possessore. Menoch. *de Præsumptionib. lib. 3. præsumptione* 50. *per totam*. At si cum patre habitet filius, qui illius bona administrat, tunc acquisita à filio dicuntur *profectitia*, nisi alitèr appareat. Idem *ibid.* Bona autem *profectitia* cùm sint illa, quæ ex pecunijs, aut rebus patris, aut patris occasione filius acquisiuit, propterea ad patrem spectant tùm quoad proprietatem, tùm quoad vsumfructum, ad distinctionem bonorum, quæ dicuntur *aduentitia*, quorum proprietas est filij, quia non proueniunt à patre, sed à filio acquiruntur ex propria industria, & labore, vt dicunt Donatus *Rerum Regularium, part. 2. tit. 11. quæst. 30. n. 4.* & alij *communitèr*; & ideò de istis nihil potest prætendi à cæteris fratribus; secùs de *profectitijs* dicendum est.

17 Ex hactenùs dictis liquet quid sit resoluendum de prætensione fratrum contrà fratrem furti reum prò centum scutis eorum patri surreptis, nempè quòd quidèm mortalitèr peccauit, & ad restitutionem sub mortali tenetur, vt illa in diuisione bonorum intèr fratres facienda post mortem patris ab intestato computentur, connumerando tamen intèr ipsos etiam fratrem furem, isti que concedendo partem, quæ de ijsdem scutis, vtpotè de bonis paternis ipsi de iure competit.

Quò verò ad alia bona, quæ filius extrà paternam domum negotiando acquisiuit, dico nihil ab eius fratribus posse prætendi, quia cùm in Iure certum sit, pecuniam non parere pecuniam. *l. vsuræ pecuniæ*, 121. *ff. de verb. signif.* Io: Maria Nouar. *quæst. forens. lib. 1. quæst.* 145. *num.* 27. consequentèr lucra facta a filio non prouenerunt ei ex pecunijs furatis tanquàm fructus naturales, sed solùm tanquàm industriales, huiusmodi autem fructus

non

non sunt restituendi, licèt percepti ex re aliena nedùm à possessore bonæ fidei, sed neque à possessore malæ fidei. D. Thomas *2. 2. quæst. 68. art. 3.* Sanch. *in sum. lib. 2. cap. 23. num. 46.* Lessius *de iusti. lib. 2. cap. 12. num. 114.* & alij *communitèr*.

18 Et quia post mortem patris filius, qui fugerat domum reuersus habitat cum cæteris fratribus, si aliquid acquirat, potest inquiri, an sibi tantùm, vel etiam alijs acquirat? Dico cum Alciato *de Præsumption. reg. 1. præsumpt. 25. per totam*, & Mascardo *de probation. conclus. 31. per totam*, *volum. 1.* vbi explicat, quòd acquisita per vnum ex fratribus simùl habitantibus post mortem patris, præsumuntur acquisita de communi, nisi essent ab vno tantùm proprio nomine alijs scientibus publicè, & palàm quæsita.

19 Acquisita ab aliquo, quandò, & an præsumantur adepta ex propria industria, vel ex bonis alterius, dico quòd si ex præsumptione lucri ex bonis alterius oritur delictum, non præsumuntur indè quæsita: Si verò persona acquirens aliundè suspicionem incurrit delicti, tunc nunquàm præsumuntur aliundè quæsita. Et si ex tali præsumptione nulla nascatur suspicio delicti, recurritur ad alias coniecturas, & probationes iuxtà theoricam. Bart. *tract. de duob. fratrib. quæst. 4.* quem citat, & sequitur Pac. Iordan. *Lucubr. vol. 3. lib. 14. tit. 21. n. 56. fol.* mihi 427.

20 Quæ verò filius, seù vnus ex fratribus turpitèr acquirit, sunt propria ipsius acquirentis, modò acquirantur ab eo, qui potest dare, aliàs restituendum erit acceptum, v. g. a filio familias, ac à Religioso, quia isti nihil habent, quod sit suum; & ità docetur à Doctoribus *communitèr*, vt videri potest apud Carbonem *de Restitution. quæst. 48.* sicutì idem procedit de filia, de vxore, de seruo, & de meretrice aliquid turpitèr acquirentibus.

21 Aliud hìc non addo de bonis, quæ intèr fratres sint, vel non sint diuidenda, quia hactenùs tradita sufficiunt prò responsione mea ad præsentem casum, de quo fui interrogatus; tamen si quis velit ea scire, videat meipsum in mea *Arbore omnium opinionum*, *tom. 3. lit. F. verbo Frater*.

* * *
* * *

INTERROGATIO XII.

An sit furtum cum restitutionis obligatione surreptio rei apud dominum peritura, sicutì etiam illius pretium domino peribit si soluatur?

COntentionem audiui Senogaliæ intèr Parochum sæcularem, & alium item Parochum sed Regularem, dùm in primi Sacristia Sacris me vestibus celebrata Missa expoliabam. Contentio in opinionibus consistebat circà dubium: An surripiens alicui quantitatem frumenti apud illum perituri, nihil teneatur restituere, nequè pretium, si hoc quoquè esset domino frumenti periturum. Affirmabat Sæcularis; negabat Regularis, meque volentem celeritèr cum Socijs mei itineris Romam versùs discedere, vtriquè Parochi detinuerunt, & mihi quæstionis statum exponentes, interrogauerunt quid putarem esse tenendum?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Meum non est cum Dominationibus vestris Doctoris munus exercere, cùm vtriusquè discipulus tantùm esse possim. Nihilominùs quia vnusquisquè in suo sensu abundat, vt interrogationi obediendo responsum dem, me tamen doctioribus remittendo, assero me sentire, dari furti rationem in proposita surreptione, & consequentèr frumentum si extet apud surripientem, vel ab isto, si non extet, eius pretium esse restituendum, quidquid sit, quòd vtrumquè apud dominum foret periturum. Ratio meo videri clara est, quia conditio rei vt *peritura*, non priuat dominio illius dominum, vndè non reddit illam nullius domini, itaùt fieri possit propria primò capientis; immò dato, sed non concesso, quòd nullius redderetur, certè primò capiens est iam ille, qui illam tenet; ergò qui illam surriperet ab eam habente, manifestum furtum admitteret cum restitutionis obligatione.

Respon-

Responsio latè scripta.

2 Attenta essentiali definitione furti, scilicèt quod *sit rei alienæ iniusta acceptio inuito domino*, proùt Doctores omnes asserunt, dubitari, nequè negari minimè potest, quin frumenti surreptio in casu nostro furti rationem importet, quia frumentum quamuìs fuerit periturum iudicari debet, vt verè est proprium illius, qui de præsenti illud possidet, res enim non iudicatur ab eo, quod erit, sed ab eo, quod nunc est, vt tradunt Iura, & notat Felin. *in cap. cùm adeò, num. 4. & seqq. de Rescript.* cùm ergò frumentum nunc sit bonum, est iudicandum proprium illius nunc illud possidentis, à quo si auferatur, erit ablatio rei alienæ, atquè ideò erit furtum, nec releuat quòd erit periturum.

3 Et eò ipso, quòd frumentum sit ablatum de domo alterius, & nesciretur quinam sit illius dominus, adhùc dicendum est esse illius, intrà cuius domum est constitutum. *l. si fines, C. de euict.* Menoch. *cons. 2. à num.* 83. & Gam. *decis.* 230. *num.* 1. & hoc saltèm præsumptiuè. Ità docent DD. *cit.*

4 Dicebam oretenùs qualitatem frumenti vt *perituri*, non constituere, nec facere tale frumentum esse commune, seù non habere aliquem dominum, vndè si surripiatur fiat surripientis, qui illud non teneatur restituere, nequè illius pretium, si istud sit quoquè periturum apud illum, qui dictum frumentum habebat: Assero igitur surreptionem dicti frumenti quamuìs apud dominum perituri fuisse furtum cum obligatione restitutionis, si extet, & si non extet dari debet eius pretium domino, quamuìs etiam istud sit posteà periturum apud illum. Hæc apertè probantur *ex quarta excommunicatione lata in Bulla Cænæ* contrà naufragantium bona surripientes, quæ licèt sint peritura, nihilominùs illa accipientes tenentur domino restitutionem facere, vt decernitur in dicta Bulla, & quidèm sub dictæ censuræ pæna; ergò qualitas rei vt *perituræ* non priuat dominum suo dominio, propter eà qui illam surripit furtum committit, furtum enim communitèr dicitur *ablatio rei alienæ inuito domino*.

5 Cùm autem furtum sit intrinsecè malum, consequentèr est semper illicitum, & importat obligationem restituendi,

nec

nec casus in contrarium est dabilis ; sed si res quia est peritura apud dominum posset licitè auferri, sequeretur esse licitum interdùm furari, non enim formalitas rei quatenùs perituræ tollit à domino illius dominium, sicque illam surripiens *aufert rem alienam inuito domino*, & hoc est verum furtum facere cum debito restituendi eam extantem, vel ea consumpta illius pretium, tametsì apud dominum istud sit periturum.

6 Ex dictis constat, nullatenùs sustineri posse, rem apud dominum perituram importare carentiam alicuius sui domini, adeoquè censeri nullius, fierique primi occupantis, vt contendebat in casu nostro Parochus sæcularis doctè tenens rem nullius ad primò capientem spectare, vt contingit in aucupio, in quo aues liberè per aerem volitantes fiunt primò capientis, cùm sint nullius; & idem est in venatione ferarum, si capiantur in loco publico, & hoc adeò verum est, vt etiam existente lege, nè capiantur, capiens non teneatur restituere, quia leges non prohibent dominium in primò capiente, sed solum vsum venandi; & quia sic nemini fit iniuria. Ità Doctores *communitèr*, vt ait Carbo *de Restitut. quæst.* 35.

7 Deniquè dato, at non concesso, eidem Parocho, rem, v. g. frumentum nunc proprium alicuis reddi nullius proptèr rationem, quòd apud illum peribit, atquè fieri primi occupantis, cui sinè furto surripi nequeat, in isto casu primus occupans est omninò ille, apud quem huiusmodi frumentum iam est, quod & tanquàm verus dominus possidet; ergò &c.



IN-

INTERROGATIO XIII.

An licet Clerico emere boues, eosque Rusticis prò medietate locare ad lucrandum?

TRansieram Anconam vnam circitèr leucam, vbi casu iumentum meum cecidit, & ad illud subleuandum Rusticus quidam cucurrit, cui cùm gratias prò sua Charitate mihi facta dederim, dixit mihi vt Deum prò eo rogarem, afflictus enim erat, quia ipsi mortui fortuitò erant duò boues, quos conduxerat ad lucri medietatem à quodam Clerico, qui illos ad hunc effectum emerat, nunc verò prætendit, vt ipsi eorum valorem prò medietate ad minùs soluatur à me, qui paupertate pressus nihil habeo ad soluendum ei: Imò addidit Rusticus, quòd quamuìs aliquid haberet, nihil dare vellet, quia scit se non teneri, proùt à quodam Religioso in Ciuitate Anconæ dictum ei fuerat; sicque interrogauit me, an & ego dicerem non teneri?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Dato, vel non dato, quòd Clericus licitè potuerit emere boues, vt istos ad lucri medietatem locaret Rusticis, sed in contractu conductionis non fuit appositum pactum de stando cuicunquè accidenti etiam mortis eorum fortuitæ, & ista de facto sequatur absquè culpa conductoris, iste nihil tenetur soluere locatori. Si verò in contractu isto fuit expressum pactum aliquod prò omni euentu, pactum erit adimplendum, dummodò contractus fuerit licitus, & validus. Cùm igitur in casu nostro afferat Rusticus nudam, idèst sinè pacto fecisse conductionem boum, qui in conscientia ipsius attestatur, quòd sinè sua negligentia, & sinè eius culpa mortui sunt, consequentèr domino perierunt, vndè in nihilo condemnandus est Rusticus conductor; quarè si Clericus in prætensione alicuius solutionis persistat, nec à molestando eumdem Rusticum desistat, iste poterit causam suam ad forum Episcopi deferre, & certè victoriam, & libe-

liberationem obtinebit contra Clericum, qui potiùs fortasse punietur, quia illicitè per negotiationem sibi prohibitam, boum dictam emptionem fecerat ad eos locandos cum lucro, quia est probabile, quòd nec semèl potuerit negotiari.

Sic verbotenùs vulgari sermone respondi Rustico, à quo discessi, ipso consolato relicto.

Responsio latè scripta.

2 Ad plenam propositi dubij resolutionem, necesse est de negotiatione præmittere aliqua.

Primò, quid sit negotiatio, & quibus, ac sub quibus pænis illa prohibeatur, & quotuplex illa sit.

Secundò, an quidam casus habeant rationem prohibitæ negotiationis, vel non.

Tertiò, notabilia ex Pontificijs Constitutionibus, & ex S. Congregationis Responsionibus.

3 De *primo* dico, Negotiationem esse, *rem emere, vt immutata cum lucro vendatur*, vt DD. *communitèr* eam definiunt.

Talis negotiatio prohibita est Religionis, etiam Conuersis, & Clericis, & quidèm sub pæna excommunicationis, suspensionis, ac depositionis, *cap. 2. Nè Cler. vel Monach.* & *cap. consequens*, 88. *dist.* & *cap. penult.* 91. *dist.* & *cap. Sed nec, Nè Cler. vel Monach.* dictæ tamen pænæ sunt sententiæ ferendæ, non latæ. Leza, *Sum. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 39. Itèm quia Ecclesiasticus negotiando viuit modo laicorum, propterea laicorum oneribus subiacere dignum est, *cap. recolentes, de statu Monach.* ideòque tenentur ad solutionem Gabellæ rerum, quas emunt, & vendunt, *cap. Quamquàm, de censib. in 6.* & *Clement. fin. de censib.* Comitol. *Respons. Moral. lib.* 1. *quæst.* 35. & alij *communitèr*. Præscribuntur etiam aliæ pænæ, quas infrà notabo *num.* 9. 17. *&* 34. Quoad solutionem Gabellæ, quære *infrà*, *num.* 8. & 18.

4 An negotiatio possit ab Ecclesiasticis exerceri per alium, multi affirmant cum Diana *part.* 1. *tract.* 8. *de contract. ref.* 72. quia prohibitio est facta per Ius Ecclesiasticum solis Ecclesiasticis per seipsos; at stando in Iure naturali est quid indecens, indignum, & indecorum quomodocunquè negotiationem exerceant. Sed Bordonus *Variar. resolution. part.* 2. *ref.* 53. *num.* 97. censet

censet non licerè sinè graui culpa Ecclesiasticis tùm Sæcularibus, tùm Regularibus, siuè sint in Sacris, siuè tantùm in minoribus negotiationem exercere nec per se, nec per interpositam personam, nisi vrgeat necessitas seipsos, & parentes sustentandi. Quòd per se non liceat, probatur à Bordono ex *cap. per totam*, *dist.* 88. & quòd sit quoquè dicendum idem de negotiatione exercita per alium, probat *loc. cit. num.* 98. ex Iuris *reg.* 67. *in* 6. quia quod alicui non licet suo nomine, nequè alieno licebit; & quòd necessitas excuset, deducit idem Author ex *cap. præsertim*, & ex *cap.* 1. & ex *cap. Secundum*, *Nè Cler. vel Monach.* Ità ille *vbi suprà*, *n.* 99. Hoc tamen limitatur quoad Religiosum particularem, quia iste non indiget, cùm ei Conuentus prouideat, vndè sic faciens delinqueret contrà votum paupertatis, nequè Superior potest ei licentiam concedere, vt posteà de pecunijs disponat. Lezana *Sum. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 39.

5 Triplex est negotiatio: *Æconomica*, *Politica*, & *Lucratiua*. Negotiatio *Æconomica* non est prohibita, immò est de iure naturæ, vt Religiosi emant necessaria ad proprium, suorumque vsum.

6 Negotiatio *Politica* est illa, qua emuntur necessaria Exercitui, Ciuitati &c. & ista est Religiosis prohibita, *cap. Episcopus*, *dist.* 88. & *cap.* 1. *& seqq.* 21. *quæst.* 1.

7 Negotiatio *Lucratiua* est duplex, vna *propria*, altera *impropria*. Ista fit emendo rem, vt ea mutata, & melior effecta cariùs vendatur; & huiusmodi negotiatio non est vetita. Illa verò est prohibita, per quam emitur res, quæ immutata cariùs venditur, & hac intentione fuit empta. Lugo *de contract. disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 21. Layman *Theol. Moral. lib.* 3. *tract.* 4. §. 7. *num.* 39. *&* 40. & alij.

8 Dixi *suprà*, *num.* 3. Clericos negotiatores teneri Gabellas soluere de rebus, quas sic emunt, & vendunt, dicuntur autem negotiationem cum tali obligatione exercere, quandò aliquid emunt, vel contractu oneroso acquirunt, vt ex illius venditione lucrum reportent. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 2.

Et quamuis Barbosa *de Iure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 30. §. 5. *nu.* 65. cum alijs velit, trinam monitionem prærequiri, vt condemnetur ad soluendam Gabellam tanquam negotiator Clericus, ità vt non sufficiat vna peremptoria prò omnibus; tamen alij negant

dictam triplicem monitionem in casu negotiationis, licèt requiratur prò solutione Gabellæ ex bonis, & facultatibus suis, & de istis loquitur *cap. fin. de vit. & honest. Cleric.* & ità habetur *cap. Quemquàm, de censib. in 6.* & *Clementin. fin. de censib.* Sanch. *Consil. Moral. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dub. 51.* & plures alij penès ipsum, quorum opinio dicitur probabilior. Vide *num. seq.*

9 Clericus negotiator si post trinam monitionem Prælati non desistat, priuatur priuilegio Canonis per *cap. ex litteris, de vit. & honest. Cleric.* iuxtà Nauarrum, Toletum, & alios; sed probabiliùs est priuari solùm priuilegio fori.

Etiam prò vnico actu negotiationis non sunt immunes Ecclesiastici à solutione Gabellæ quoad bona per negotiationem empta, & vendita. Thesaurus *in Praxi, part. 2. verbo Negotiatio, cap. 1.* Tamen ad incurrendam excommunicationem, suspensionem, & degradationem non sufficit vnus, vel alter actus, sed requiritur frequentia actuum, quia verbum *negotiatio* est verbale exigens frequentiam, vt notant Lezana *Sum. tom. 4. verb. Negotiatio, num. 4.* & Sanch. *Consil. Moral. lib. 2. cap. 4. dub. 51. nu. 7.* Vide adhùc *infrà, num. 23.* & *34.*

An autem peccet mortalitèr qui semèl, aut bis negotiationem exercet, dicunt quòd non Cened. *in Collect. Iur. Canon. part. 1. Collect. 37. num. 2. in fine.* Carol. de Grass. *de effect. Cleric. effect. 3. à n. 1.* Lessius, & Malderus. Verùm Castr. Pala. *tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 13. §. 3. num. 6.* cum Molina, Salonio, Rebello, & Gutierrez, dicit esse peccatum graue etiam tantùm semèl negotiationem exercere, quia cùm sit prohibita negotiatio, ista verè secundùm totam suam essentiam consistit etiam in vnico actu; sed huic rationi patet responsio per mox dicta suprà à Lezana, & Sanchez. Quære adhùc *infrà, num. 23.* & *34.* vbi exprimitur casus prohibitæ negotiationis etiam tantùm semèl.

10 De *secundo* dico, dàri casus, qui non habent rationem negotiationis. Sic negotiator non est Ecclesiasticus, qui aliquid emit ad proprium, seù suorum vsum, sed posteà data occasione illud cariùs vendit, quia non emit, vt vendat cum lucro.

11 Item non est negotiatio vendere redditus propriorum beneficiorum.

12 Item non exercet negotiationem, qui extrahit fructus suos, atquè suorum beneficiorum, seù bonorum patrimonialium

ex vno loco ad alium, vt ibi cariùs vendat. Sousa *in Bullam Cenæ, cap. 19. disp. 92. con. 1. num. 4.*

13 Item non est negotiator Ecclesiasticus emens animalia, vt illa in suis prædijs pascat, & facta pinguia, illa vendat.

Item qui materiam aliquam emit, vt eam in aliquod artificium mutet ad vendendum. Molina *de contractib. dis. 342. n. 14.* & alij; dummodò id fiat ad subueniendum proprijs necessitatibus, & ob id non retrahatur à Clericatu, vel à Religioso officio, & artificium illud sit honestum. Syluest. *Sum. verbo Clericus 3. num. 2.* Et quamuis emptio rei facta vt illa mutetur per artificium, & industriam, vt vendatur, sit negotiatio *impropria*, & licita, vt constat ex *cap. Clerici officia, de vit. & honest. Cleric.* & ex 91. *dist. cap. Clericus*, & *de consecrat. dist. 5. cap. nunquàm*. Syluest. *verb. Excommunicatio, 9. num. 21.* Diana *part. 5. tract. 1. res. 26.* alias 27. & Filliuc. *tract. 43. cap. 4. quæst. 15.* tamen eam esse indecentem statui Ecclesiastico, atquè ideò non esse exercendam, nisi aliqua iusta causa vrgeat, ait Filliucius *ibid.*

14 Conducere prædia, vel res fructiferas, vt fructus vendant, est negotiatio, nisi Ecclesiastici id faciant necessitate coacti, vel nisi succedant conductori. Ità cum Naldo, & alijs dicit Lezana *Sum. tom. 4. verb. Negotiatio, num. 4.* addens Sacram Congregationem declarasse, hanc prohibitionem stare solùm de prædijs, quæ sunt laicorum, secùs si sint Ecclesiasticorum, vel locorum piorum, & ità notat etiam Barbosa *de Iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 40. num. 125.*

15 Non est negotiator Clericus, aut quiuis Ecclesiasticus, qui in proprio fundo eruit, vel cædit metalla ad vendendum, vel mutandum ea, aut in illo alat greges, vt ex lacte, vel caseo, ac lana pecuniam acquirat; nàm sic sit artificium, seu industria honesta, si fiat vt dixi *suprà, num. 14.* Nauarr. *in Manual. cap. 27. num. 128.* & Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 21. dub. 1.* Vide etiam *infrà, num. 23.*

16 Qui habens pecuniam auream, hanc cùm argentea permutat cum lucro, non dicitur negotiator: Si verò pecuniam auream ab alio accipiat ad aliquid emendum prò illo, sed eam sibi reseruat, vt posteà maiori valore permutet, & cum argentea rem commissam emat, erit negotiatio illicita Ecclesiastico. Ità Lugo *de iusti. disp. 28. sect. 2. num. 30.*

M 2 17 Non

17 Non est illicitum Regularibus in suis Monasterijs habere aliquam apothecam prò eorum vtilitate, in qua per sæculares emantur, & vendantur aliqua, quæ ipsis sunt necessaria, dummodò id fiat extrà Romam, eiusque districtum, intrà quod quicunquè Regulares si id faciant, etiam Superiores incurrunt pœnam Suspensionis ipso facto à Diuinis, & priuationis Officiorum, quæ habent, & perpetuæ inhabilitatis ad cætera obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ absquè alia declaratione, & tamquam contrà negotiatores procedet Generalis Thesaurarius confiscando lucra, & capitale ad dictas artes spectantia, ex Decreto S. Congregationis Apostolicæ Visitationis, edito sub die 29. *Augusti*, 1637. teste Lezana *Sum. tom. 4. verb. Negotiatio, num.6.*

18 Panem coctum, etiam ad minutum vendere, si sit ex frumento in proprijs prædijs collecto, non est illicitum Clerico. Barbos. *de Iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 40. num.* 118. Idem procedit de venditione proprij vini; tamen Religiosi hoc præstare non debent in proprijs Monasterijs, sed per alios in domibus sæcularium, in Monasterio autem non licet tabernam facere. Layman *lib. 3. tract. 4. cap.* 17. §. 7. ex Rebello *de oblig. iusti. part. 2. de contr. lib.* 18. *quæst. vlt. sect. 2.* Igitur nec in domo Clerici, nec in Monasterio sunt exercendæ prædictæ venditiones, nisi consuetudo sit in contrarium. Et cùm in istis non exerceatur negotiatio, consequentèr non est soluenda Gabella. Dian. *part.* 8. *tract. 7. Miscell. res. 26.*

19 Si contractum Societatis faciant Clerici, vel Religiosi cum mercatore, vel campsore, qui ab illis totam pecuniam accipiant, & isti operam totam ponant, erit negotiatio vetita in sententia Bordoni, vt notaui *suprà, num.* 4. Nihilominùs sententia contraria dicitur communis ab Hurtado *de contract. disp. 2. diffic.* 17. & illam tenent quamplures, quos citat, & sequitur Diana *part. 9. Miscell. res. 69.* quia nullibi reperitur prohibitum negotiari per alium. Potest tamen aliquandò esse peccatum veniale, quandò scilicèt Ecclesiasticus in dicta Societate sibi retinet aliquantulùm curæ, dirigendo, sollicitando &c. Immò poterit esse mortale, si adeò magna, ac tanta sit directio, ac sollicitudo, seù superintendentia, vt possit dici negotiari per seipsum. Card. de Lugo *de iusti. tom. 2. disp. 26. sect. 3. num. 36.* & Diana *loc. cit. in fine.*

20. Etiam Nouitijs licèt nondùm in Sacris prohibitum esse

nego-

negotiari, tenent Turrian. *tom. 2. disp. 59. dub. 3. num. 6.* & Dicastill. *de iust. lib. 2. tract. 9. disp. 1. dub. 5. num.* 242. quia rationes prohibitionis quoad illos peculiarem habent vim. Hanc sententiam vtpotè dubiam non vult approbare Card. de Lugo *de iusti. tom. 2. disp. 27. sect. 3. num.* 25. Tamen illam non tenent alij, intèr quos Gaspar Hurtad. *vbi suprà*, quia negotiatio est vetita constitutis in Sacris, tùm Clericis, tùm Religiosis, nomine autem Religiosorum non veniunt Nouitij in odiosis, cuiusmodi est lex vetans negotiationem sub varijs pænis.

21 Clericus habitans, v. g. Bononiæ si habeat pecunias, v. g. Venetijs, vbi plùs valent, quam Bononiæ, & velit prò suis indigentijs sibi afferri, sed ad euitandum damnum minoris valoris pecuniarum, quas recipiet Bononiæ, vbi minùs valent, mandat vt Venetijs emantur merces eodem pretio, quo eas Bononiæ vult vendere, vt sic se indemnem seruet, non erit negotiator, quia emptionem non fecit, vt res emptas vendat immutatas animo lucrandi; vndè si posteà Bononiæ eas prætèr intentionem maiori pretio vendat, non erit negotiatio, quia hoc erit per accidens. Esset tamen negotiatio, si prædictus Clericus habeat, v. g. Venetijs centum scuta, quæ in valore non æquiualent alijs centum Bononiæ, & Venetijs emat merces prò dictis centum, quæ ibi habet, vt Bononiæ eas vendat itèm prò centum scutis iuxtà valorem, quem Bononiæ habent. Ratio est, quia emit merces, vt eas non mutatas cariùs vendat. Ità Cardinalis de Lugo, cui tamquàm satis probabilitèr loquenti se adhærere dicit Diana Coordinatus *tom. 6. tract. 3. ref.* 183.

22 Habens Beneficium Ecclesiasticum, quamuis nondum sit in Sacris, non potest negotiationem exercere. Salas *de contract. tract. de empt. dub. 2. num.* 5. citans Rebellum, Vegham, Sà, & Tabienam. Sed in contrariam partem inclinant Squillante *de oblig. Cleric. part. 2. dub. 3. num.* 39. & Molin. *de iusti. tom. 2. tract. 2. disp.* 342. *num.* 2. Alij verò volunt negotiationem vetari solùm constitutis in Sacris, non autem tantùm in Minoribus, licèt sint beneficiàti. Ità Trullench. *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 20. dub. 19. num. 7.* Filliuc. *tract. 35. cap. 1. num.* 20. & alij.

Prosc.

Prosequitur eadem materia.

23 Quamuis sinè labe negotiationis possint Ecclesiastici locare propria iumenta, tamen esset negotiatio, si iumenta emant, vt ea locent. Ità declarauit S. Congregatio Concilij, vt refert Barbosa in *Collect. decis. verb. Cleric. fol.* 178.

Et quia idem de iumentis emptis a Clerico, vt ea locet, tenet Molina *de iusti. tom. 2. tract. 3. disp.* 347. *num.* 24. & deindè concedit licere Clerico emere domum, vel prædium, vt locet; proptereà Cardinali de Lugo *de iusti. tom. 3. disp. 26.* videtur, quòd Molina sit sibi contrarius, cùm eadem sit ratio de emptione iumentorum, vt locet, ac de emptione domus, ac prædij, vt locet; quarè ipse de Lugo asserit esse speciem negotiationis, si frequentèr alia, & alia iumenta emantur ad finem ea locandi; secùs si tantùm semèl, & posteà diutiùs in eo exercitio haberentur; sicque non agnoscit de Lugo maiorem indecentiam in hoc, quàm si semèl domus fuisset empta ad locandum, vel grex ad eius fructus vendendos. Vide etiam *suprà, num. 9.* & 15.

24 Clericus emens vuas, vt vinum faciat ad vendendum, etiam sinè necessitate, non dicetur negotiator, quia vendet rem mutatam. Antonell. *de Regim. Eccles. Episc. lib. 6. cap. 7. num.* 14. & idem est si emat oliuas, vt vendat oleum, vel si emat lanam ad conficiendos ex ea pannos posteà vendendos, quia emptionem fecit rei, quam mutatam vult vendere. Sed quoad hanc lanæ emptionem notant aliqui cum Diana *part. 11. tract. 3. Miscell. 3. res.* 10. non defuisse volentes esse negotiationem conficere pannos ex lana propriorum animalium per ministros laicos, siuè si lana sit empta à Religiosis, qui proprijs sumptibus faciant per laicos conficere in pannos, volentes cariùs vendere, quàm panni valeant. Ità Bosellus *in decisionib. mutinen. lib. 1. quæst. 28. num.* 33.

25 Idem Bosellus *ibid.* censet esse negotiationem, si Ecclesiastici suis sumptibus imprimant libros à se compositos, hosque in diuersis regionibus vendant, quia cariùs sic vendunt cartam, & scripturam immutatas, ex quibus duobus libri impressi constant, nisi ob necessitatem id faciant. Sed contrà Bosellum tenent Doctores *communitèr*, cùm hoc non sit quid turpe, nec scan-

scandalosum, sed potiùs omnibus vtile, & laudabile, proùt ex experientia quotidiana liquet. Sic Pasqualig. *in quæstionibus moralib. Canonic. Centuria* 1. *quæst.* 73. *num.* 1. & Noster Antoni. à Spir. Sanct. *in Direct or. Regular. part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 11. §. 1. *num.* 1377. vndè à viris timoratæ conscientiæ sic practicatur, nec Prælati obstant.

26 Quod dictum est contrà Bosellum de impressione librorum, procedit etiam de reimpressione, quia ista est protractio primæ impressionis. Immò idem est de reimpressione boni libri alterius Authoris, & de impressione Imaginum. Diana *part.* 11. *tract.* 6. *Miscell.* 9. *ref.* 41. & Passerinus *de hominum statib. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 2. *num.* 160. & eius ratio est, quia nihil hìc emitur, nisi per accidens, & prætèr intentionem, cùm finis principalis sit colligere fructus doctrinæ ex proprio agro, illosque alijs communicare; & potiùs donare, quàm vendere, inæstimabilis enim est vera doctrina.

27 Negotiatio prohibita Clericis censeri debet prohibita quoquè illis coniugatis. Layman. in *Theol. Mor. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 5. Suarez *contrà Regem Angliæ, lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 9. & alij.

28 Ecclesiastici mittentes bona sua ad locum, vbi plùs valent, non censenter lucratiuam negotiationem facere. Anton. Sousa *in Bull. Cænæ, cap.* 19. *disp.* 92. *conf.* 1. *num.* 4. Bonac. *tom.* 3. *in Bull. Cænæ, disp.* 1. *quæst.* 19. *punct.* 3. §. 3. *num.* 6. & alij.

29 Si prò fabrica sui Monasterij Regulares faciant fornacem, poterunt sinè labe negotiationis vendere exteris lateres, calcem &c. Ratio est, quia accessorium sequitur suum principale, quod in isto casu est vsus Monasterij. Dian. *loc. cit.*

30 De *tertio* dico, quòd à Capitulo, Presbyteris, & Clero Ciuitatis, & Diæcesis Caputaquensis, interrogata S. Congregatio Concilij de pluribus dubijs, intèr quæ secundum est de Clericis, *an possint boues, quos emerint, vel in suis prædijs natos educauerint, & instruxerint concedere, vt vulgò dicitur*, à giouatico, *prò certa critici quantitate quolibèt anno persoluenda?*

Respondit: *Ad secundum, quoad boues emptos negatiuè, quò verò ad bues proprios affirmatiuè. P. Molina de contract. disp.* 341. *sub num.* 4. *quem refert, & sequitur Quaranta in verb. Vectigal.*, §. *similitèr ad illicita.*

31 Etiam

31 Etiam interrogata eadem S. Congregatio à Sacerdotibus, & Beneficiarijs Diæcesis Alexan. & Vgenin. de varijs dubijs, quorum primum est, *an Sacerdotes, & Clerici Beneficiati possint operas suorum bouum, quos prò laborandis prædijs suis patrimonialibus, seù beneficialibus, aut ad eos quoquomodo spectantibus retinent, dùm sibi vacant, alijs locare prò certa mercede, absquè periculo spolij, & pænarum Clericis negotiatoribus impositarum?*

Respondit S. Congregatio affirmatiuè, si tot iuga bouum retineantur, quot sunt prò prædijs necessaria, vel si vltrà necessitatem boues illi nati sint ex vaccis, quæ prò necessitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur.

32 Item dicta S. Congregatio interrogata, *an possint Clerici oues sexaginta, vel centum simili ratione concedere prò certa caseorum quantitate, prò eorum, & suæ familiæ vsu?*

Respondit affirmatiuè, si oues fuerint propriæ, & non emptæ ad illum effectum, & si emptæ, contractus fiat ad comparandum necessaria ad victum, & non ad lucrum.

33 Idem in similibus dubijs respondit S. Congregatio, vt etiam ex alijs refert Barbosa *de Iure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 40. num. 127.*

34 Clemens IX. Constitutionem edidit *sub die 17. Iunij 1669.* approbatiuam, & innouatiuam alterius Vrbani VIII. contrà Ecclesiasticos tàm Sæculares, quàm Regulares quouis titulo à quibuscunquè, etiam à Sede Apostolica missos ad Insulas, Prouincias, & Regna Indiarum Orientalium, præsertìm ad Prouinciam de Iapone noncupatam, ac in partes Armeniæ tàm Australes, quàm Septentrionales, aut qui in illis partibus quomodolibèt morabuntur, nè se mercaturis, aut negotiationibus sæcularibus quouis titulo per se, aut per alios, etiam tantùm semèl, directè, vel indirectè qualitercunquè se ingerant, aut immisceant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, dignitatum, & graduum quorumcumquè per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunquè in posterùm obtinenda, necnon amissionis mercium, & lucrorum omnium ipso facto incurrenda, & etiam sub alijs pænis arbitrio Sedis Apostolicæ, & Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide.

Dictas autem merces, & lucra dictus Pontifex applicat pauperibus ob eorum commoditatem, Hospitalium, Seminariorum

Eccle-

Ecclesiasticorum, & Operariorum, non tamen Religionum, nequè locorum personarum, quæ in præmissis deliquerint; quarè dicta lucra erunt consignanda Ordinarijs, vel eorum Vicarijs in spiritualibus, aut Officialibus &c. Ità per extensum refert Lantusca *in Theatr. Regular. in supplement. verb. Mercatura.*

35 Nunc prò directa resolutione casus nostri, assero non potuisse Clericum licitè, nec sinè labe negotiationis emere boues ad finem eos locandi, siùè absolutè, siuè ad medietatem lucri, proùt ex Sacra Congregatione notaui *suprà, num. 23.* & rursùs *num. 30.* sicutì *dicto numero 23.* dixi doceri à Molina, quamuìs tantùm semèl Clericus id præstiterit. Vide *suprà, num. 9.* Si verò velimus sentire cum Cardinali de Lugo, quem contra Molinam *eodem numero 23.* retuli, docere non sufficere ad labem negotiationis, si solùm per vnicam vicem fuerit à Clerico facta locatio bouum ab ipso ad hunc finem emptorem, consequentèr non erit damnandus, excepto casu, in quo per vnicam vicem esset reus negotiationis ex expressa Constitutione Clementis IX. relata à me *hìc suprà, numero antecedenti*, qui tamen casus in præsenti non habet locum, quia non sumus in loco Indiarum, &c.

Quoad prætensionem Clerici volentis, quòd Rusticus soluat medietatem valoris bouum mortuorum, dico non posse illam prætendere, stante quòd in contractu societatis ad medietatem cum Rustico, Clericus non reiecerit periculum in socium per alium contractum assecurationis, nec in totum, nec in partem, vndè animalia in tali casu stant periculo apponentis; nàm apponens est dominus, & res perit domino, supposito quòd fortuitò, non ex culpa alterius socij pereat. Dicastill. *lib. 2. tract. 13. dub. 1. à num. 124.* Trullench. *lib. 7. cap. 24. dub. 5. num. 8.* apud Antonium à Spir. Sanct. eos sequentem *in Director. Confessarior. part. 3. tract. 10. disp. 25. sect. 5. num. 1261. & num. 1264.*



N IN-

INTERROGATIO XIV.

An teneat bonorum confiscatio hanc pœnam unà cum Principis Edicto ignorantis?

PEr transitum eram Veronæ, ibique ductus fui à R. P. Priore Conuentus meæ Religionis ad domum cuiusdam Dominæ Viduæ eius pænitentis nobilis, & diuitis ibi hospitæ ægrotantis in lecto ex sola vehementi afflictione proptèr bonorum suorum confiscationem factam à suo Principe Duce N. intrà cuius ditionem illa possidebat, eò quia non adimpleuit id, quod per publicum Edictum omnibus suæ ditionis sub tali pæna mandauerat intrà tres menses exequi, cuius tamen Edicti notitiam nonnisi post dictum tempus, & post mulctam sibi factam habuit; & ideò me interrogauit, an Ius haberet ad reclamandum prò recuperatione confiscatorum, cùm ipsa tunc temporis longè à suo loco abesset, relictis in affictum vni tertio prædijs suis nunc confiscatis?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Suppositâ absentiâ, & quidèm per longam distantiam à loco, in quo Edictum publicatum fuit, mirum non est, quòd illius notitia ad talitèr absentem minimè peruenerit; vndè de illo etiam vltrà tres menses ignorantiam habuerit. Datâ autèm tali ignorantiâ in absente, & maximè in fæmina, si in Edicto mandata non impleuit, nullam commisit culpam, sinè qua nec pæna incurritur. Igitur certum mihi est, quòd si prò recuperatione confiscatorum reclametur, allegatis quæ dabo in scriptis obtinebuntur.

Responsio latè scripta.

2 Si forsàn contrà prædictam Dominam dictum sit, ipsam sciențèr, dolosè, & appensatè, ac animo spernendi, & contrafaciendi mandatis in Edicto, ista non impleuerit, probari debuis-

sent

sent dictæ qualitates, quibus non probatis, sicùt nec reuera probari possunt, cùm non adsint, sequi debet absolutoria, vt asserunt Iacob. Aret. & Cynus *in l. 2. C. de prob.* Io. Andr. *in addi.* Specul. *in tit. de accu. & inquis. in Rubr. cum simil.* per Marsil. *cons. 96. num. 5.* & *singulari* 187. Grat. *respons. 91. num. 6. volum. 2.* & alij cumulati ab Horatio Lucio *cons. 168. num. 28. tom. 1. criminalium.*

3 Cùm igitur probatum non fuerit dictam Dominam habuisse scientiam Edicti cum omnibus qualitatibus suis, vt erat opus probare, quòd deliquisset, vt per gloss. *in cap. concertationi, ver. sciuerit, de app. in 6.* Spec. *in tit. de cita. §. sequitur,* & *in tit. de app. §. qualitèr, vers. cautus.* Alex. *cons. 114. columm. 2. volum. 1.* Natta *cons. 225. num. 5.* & Hyppolit. Riminald. *cons. 310. num. 24.* Immò cùm præfatum Edictum non fuerit publicatum Veronæ, vbi dicta Domina tunc morabatur, præsumitur euidentèr illam illius velùt noui, & extrauagantis habuisse ignorantiam, vt post alios declarat Iason *in l. cum prolatis, column. 1. & 2. ff. de re iud.* & in muliere præsumitur Iuris ignorantia. Rui. *cons. 190. nu. 11. volum. 1.* præsertìm vbi agitur de damno euitando, vt in casu præsenti de confiscatione bonorum. Bart. *in l. Bonorum, ff. de bon. possess.* Rip. *in l. 1. §. si quis ità, nu. 29. ff. de verb. oblig.* & Ceph. *cons. 366. num. 58.*

4 Et quia vbi agitur de confiscatione bonorum, ibi sit agere de criminalibus, iuxtà doctrinam Bart. *in l. 3. ff. de sepul. viol.* Deci. *cons. 83. col. 2.* & *in Rubr. de iudic. lect. 2. num. 6.* sequitur, quòd ignorantia Edicti debet eamdem Dominam excusare. *l. 1.* & *ibi* gloss. *ff. de recept.* & *l. Qui ignorans,* & *ibi* latè Mars. & *in l. Qui falsam, ff. de fals.* & Decian. *Respons. 93. num. 90. volum. 2.*

5 Sic stante ignorantia prædicta in muliere, ipsi culpa imputari non potest. Crauet. *cons. 204. num. 21.* ignorans enim non dicitur delinquere. Ripa *in l. fin. n. 48. C. de reuoc. donat.* & consequentèr, vbi non est delictum, nec pæna esse debet. *l. Sancimus, C. de pæn.* Bald. *in l. si ideò, C. de his quibus,* quia pæna præsupponit culpam. *l. sed & si non data, §. fin. ff. de fideic. lib.* & *l. si quæ pæna, ff. de verb. signif.* Cra. *cons. 4. num. 23.* & Cephal. *cons. 242. columm. 2.*

6 Nec tantùm ex nescientia Edicti concluditur prædictam Dominam fore absoluendam, verùm etiam ex carentia doli in

ipsa, cùm quælibet ignorantia etiam Iuris excuset à dolo, per notabilem glosſ. *in l. plagij, C. ad leg. flaui. de plagi.* & multò magis excusat mulierem, in qua dolus non eſt præsumendus, nec lata culpa, secundùm gloſſ. *in l. vbi, ff. de eden.* quam *ibi* sequuntur omnes; vndè Bald. elegantèr *in l. fin. in princ. quaſt. 3. C. de iur. delib.* & *in l. precibus, col. 5. verſ. Quid ergò ſi petijt, C. de impub.* per eam firmat, dolum non præsumi in muliere, sed potiùs bonam fidem, quia naturalis ratio, & sexus imbecillitas hanc opinionem, siuè coniecturam inducit, vt tenet etiam Horatius Lucius *conſ. 162. num. 13. tom. 1. criminalium.*

7 Si ergò ignorantia excusat à dolo, & illius præsumptio oriatur ex absentia, per Cephal. *conſ. 304. num. 256.* & Hippolyt. Riminald. *conſ. 470. num. 23.* sequitur dicendum, Dominam in casu noſtro non fuiſſe in dolo, & consequentèr ob ignorantiam, & absentiam ignorantiæ inductiuam non obligari. Idem Riminald. *d. conſ. 470. num. 27.* Quarè vtpotè non obligata in casu noſtro præfata Domina, ſicuti in Edictum ignoratum ſui Ducis publicatum, dùm illa longè aberat a Patria non deliquit, ſic nequè bonorum ſuorum confiſcationis pœna in Edicto poſita mulctanda fuit ex hactenùs ſuprà allegatis Iuribus, & Iureperitis. Quære adhùc *infrà, à num.* 10.

8 Similitèr fauet eidem Dominæ Moraliſtarum doctrina, qui loquentes de lege Ciuili, licèt ſufficientèr promulgata, & obligante in conſcientia, contrà quam ex inuincibili ignorantia aliquis delinquit, aſſerunt talem eſſe immunem à culpa, quia nullus tenetur obedire legi, quam omninò ignorat. Sot. *de iuſti. lib. 1. quaſt. 1. art. 4.* Azori. *Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 5. cap. 3. qu. 9.* Valentia *tom. 2. diſp. 7. quaſt. 5. punct. 5. lit. D.* & alij, intèr quos Maſtrius *in Theol. Moral. diſp. 2. quaſt. 4. art. 3. num. 106. in fin.* vbi loquitur de lege tùm Ciuili, tùm Pontificia. Noto tamen cum Azorio *Inſtit. Moral. part. 1. lib. 5. cap. 3. quaſt. 9.* & alijs, quòd quamuis ignorantia legis excuſet à culpa, necnon à pœna, ſi quæ ſit præſcripta, ſeù appoſita, nihilominùs acta contrà illam erunt irrita, etiam in conſcientia, ſi lex ea irritet.

9 Vltimò non omitto notare quod dicunt Sot. *loc. cit. §. Contrà hos,* & Caiet. *1. 2. quaſt. 90. art. 4. ad 2.* nempè quòd cùm primum lex eſt promulgata in Curia, vel in Metropoli Regni,

obligat

obligat vniuersos, sed a culpa excusat ignorantes eam; & sic potest dici, tunc legem obligare in actu primo, non in actu secundo; & hoc si procedit quoad præsentes, & existentes in loco promulgationis, multò magis non obligat in vtroquè foro absentes.

Appendix.

10 Præallegata vidit, & legit D. Prætor, à quo contrà Dominam præsentis casus fuerat lata confiscationis sententia, quam vt sustineat, & ritè pronunciatam tueatur rescripsit sic: Edictum, & Lex cùm sint idem, fateor non dici committere in Legem eum, qui eam ignorat, vndè nec est de tali dicendum, quòd non adimplendo mandatum deliquerit, adeoquè nec culpam, ob quam Legis pæna debeatur admisit, tempus enim ignoranti, vel impedito minimè currit. Id tamen solummodò procedit quandò tempus est à Iure determinatum in odium delinquentium, non verò si sit determinatum in fauorem alterius, proùt constat ex Concilio Tridentino concedente Professis in Religione tempus quinquennij ad reclamandum contrà inualiditatem Professionis, quod tempus currit à die factæ Professionis, non obstante aliquo impedimento, aut ignorantia illius inualiditatis; & ratio est, quia tale tempus fuit concessum in fauorem Religionis proptèr huius communem quietem. Ità Sanch. *de Matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 31. num. 18.* & aliud simile habetur *in cap. Statum, de Prabend. in 6.* Couarru. *in cap. 3. num. 4. de testam.* & Tiraquell. *de retract. lignag. §. 35. gloss. 4. num. 25.*

11 Cùm ergò Edictum in casu nostro emanarit à Principe, vt intra tres menses singuli habentes prædia intrà territorium suæ ditionis soluere teneantur certam summam sub pæna confiscationis eorum, & hoc in commodum commune vrgente necessitate, consequentèr à pari de casu Tridentini curret tempus etiam ignoranti; nàm quandò duò casus sunt æquiparati, quod in Iure est dispositum in vno, censetur quoquè dispositum in alio. Gloss. *in verb. Aduocandum, in l. mancipia, C. de seruis fugit.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 15. gloss. 1. nu. 10.* Molin. *de primog. lib. 2. cap. 8. num. 16.* Surd. *de aliment. tit. 2. quæst. 10. num. 2,* & gloss. *in cap. si postquàm, de elect. in 6.* quarè de Iure dicta Domina licèt absens,

& igna-

& ignara, effluxis tribus mensibus in Edicto taxatis debuit confiscatione mulctari.

12 Sed bona pace D. Prætoris respondendum est ei, nihil prò nostro casu probari ex ab eo allegatis Iuribus.

Et *Primò*, non per textum Tridentini, quia in illo particularitèr non statuitur expresè currere tempus quinquennij etiam ignoranti, sed ad euitandas lites, quæ continuè possent insurgere cum Religionis, & Religiosorum perturbatione, si liberum esset cuicunquè Professo etiam post quinquennium, quocunquè vlteriori tempore reclamare; sic decreuit Tridentinum *sess.25.cap.19. de Regular.* quia præsumit in decursu tot annorum fuisse Professionem ratificatam. Hinc si reuerà intrà quinquennium non fuit ratificata Professio semper ignorata inualida, poterit etiam elapso quinquennio talitèr inualidè Professus non ampliùs ignorans reclamare, & debebit audiri; quia Concilium non negat quòd tempus quinquennij non currat ignoranti, sed tantùm præsumit ratificationem in tanto tempore, quæ ratificatio si verè desit, lex ista Concilij non procedit, iuxtà communem Theologorum, & Iureperitorum sententiam, quòd lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia. Diana cum alijs *part. 1. tract. 10. res. 27.* Et Sanch. *de Matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 37. n. 28.* dicit, nullitèr Professum, qui intrà quinquennium nullo modo ratam habuit Professionem, post illud poterit reclamare, & causam ad forum externum deducere, petens restitutionem in integrum ratione iustæ ignorantiæ. Iste est germanus, & clarus sensus assignationis quinquennij factæ à Tridentino in sola præsumptione ratificationis fundato, intactà relictà veritate, quòd impedito, vel ignoranti non currit tempus.

13 Ex dictis patet, Decretum Tridentini citatum à D. Prætore nullatenùs fauere ipsi ad pronunciandam confiscationis sententiam contrà Dominam ignorantem Edictum; nàm quamuis concedam Prætori, quòd tempus determinatum à Lege in fauorem alicuius currat isti etiam ignoranti, & tempus quinquennij fuerit concessum in fauorem Religionis, fuit concessio Legis fundatæ in sola præsumptione ratificationis inualidæ Professionis, at huiusmodi Lex non ligat, nec tenet quandò præsumptio deest, vt dixi, & probaui suprà, & communitèr affirmatur, adeoquè continuata ignorantia verè inualidè professi impedit,

quòd

quòd tempus quinquennij ipsi currat. Sic etiamsi tres menses assignati in Edicto sint in fauorem Communitatis, Lex ista fundatur in præsumptione, quòd actus præceptus possit intrà tale tempus a singulis poni, vt tradunt plures relati ab Abbate *cons.64. num. 3. part. 2. consil.* at respectu Dominæ absentis, & iustè Edictum ignorantis non potuit exequi; vndè Lex ista particularis obstare non debet Iuri communi volenti, quòd terminus certus temporis à Lege præfixus non incipiat currere, nisi à die notitiæ. Rota *diuersor. decis.* 421. *part.* 1. Abb. & Couarru. *in cap. vos quidèm, de testam.* Igitur antè notitiam Edicti quoad Dominam absentem, & inculpabilitèr ignorantem proùt in præsenti casu, inualidè sententiauit D. Prætor, cùm eius fundamenta præallegata *suprà, num.* 10. & 11. non subsistant, tùm *Primò*, ex Decreto Tridentini; tùm *Secundò*, ex sua paritate facta de casu ad casum, quæ omnia potiùs contrà ipsum militare ostendi.

INTERROGATIO XV.

An liceat Reo ad mortem ignominiosam vitandam per manus Carnificis, vti cibis, ex quibus ei mors antequàm sententietur, in carcere sequatur?

HOspes eram in Ciuitate N. in qua quidam Iudex ob mortis metum ei incussum præcedenti anno mortis sententiam tulerat contrà Caium à falsis testibus de homicidio accusatum, qui propterea innocentèr suspensus fuit, cùm tamen idem Iudex proprijs occulis viderit homicidium à Seio fuisse patratum, simulque sciret pecunijs corruptos testes falsum deposuisse, vt ex mortali odio Sempronij ergà Caium, iste suspenderetur in patibulo. Deniquè hoc factum in Iudicis syndicatu detectum fuit Principi, à quo carceribus traditus idem Iudex infirmæ valetudinis, iste se fore ad mortem damnandum præuidens, cogitabat sibi mortem ab alijs naturalem putatam, spontè accelerare cibos nociuos comedendo, sed an hoc sibi licitum esset petijt à Confessario, qui me interrogauit, quid ei respondere deberet, simùlque petijt, vt quid de tota materia præsentis casus esset resoluendum, in scriptis ei darem.

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Dico absolutè, quòd nemini licet seipsum interficere, quia nemo est dominus suæ vitæ, sed vnusquisquè tenetur illam sibi conseruare medijs saltèm ordinarijs; & hoc adeò verum est, vt ex nulla causa id possit licitum esse, quamuis esset causa vitandi peccatum mortale, quà causà nulla maior est dabilis; & quia sibimet vitam propriam datà operà abbreuiare idem est; ac seipsum interficere, consequentèr etiam hoc non licere est omninò tenendum. Dantur quidèm casus, qui liciti sunt etiam cum præuisione abbreuiationis vitæ, vt v.g. abstinere à carnibus in periculosa infirmitate, vt faciunt Carthusiani; vel pænitentias prò amore Dei cum carnis maceratione &c. quia ex istis non sequitur per se, seù directè mors, quæ nequè intenditur, vndè sic facientes non dicuntur se interimere, sicutì dicerentur, si ex mortis intentione talia facerent. Respondeatur ergò carcerato Iudici infirmo, & iustam proximam mortis sententiam expectanti, sibi non licere cibos nociuos adhibere, ea intentione, vt sibi mors indè contingat, quatenùs sic per Carnificis manum patibulari euitet. Quòd autem ob mortis metum etiam iniustè incussum iniustam mortis contrà innocentem iam furcæ traditum dederit sententiam, non ideò habet vndè queat excusari tùm ab iniustitia contra sui Officij obligationem faciendi iustitiam; tùm a culpa homicidij, cum obligatione resarciendi damna hæredibus occisi, & hanc obligationem habet insolidùm cum falsis testibus, cùm omnes sint causa damni, sicùt & Sempronius.

Responsio latè scripta.

2 Generalitèr loquendo numquàm est licitum occidere seipsum ex quocunquè motiuo, etiam ad euitandum peccatum. Ità firmitèr tenent omnes cum Abbate *in cap. ex parte, num. 2. de sepult.* Ratio est, quia nemo est dominus suæ vitæ, sed vitæ omnium dominium solus Deus habet, vel Respublica, cuius homo est pars, quæ quandò est notabilitèr nociua corpori, potest rescindi. D. Thomas 2. 2. *quæst. 64. art. 5.* & est communis sententia. Nec obstat si dicatur non defuisse, v. g. Sanctam Apolloniam, & S.The-

S. Theclam, quæ seipsas in ignem eis à Tyranno paratum spontè iniecerunt, vndè & sibi mortem inferebant, sed nequè ob id peccatum admiserunt, quin potiùs laudabilitèr Martyrij palmam obtinuerunt; respondetur enim id fecisse ex Spiritus Sancti instinctu, sinè quo se flammis dare minimè licuisset.

3 Et adeò verum est, nemini licere seipsum occidere, vt quamuis quis possit iuridicè ad mortem iustè damnari, tamen non potest à Iudice obligari, vt sibimet illam inferat, v.g. bibendo venenum; immò si hoc ipse sic ex se sumeret, peccaret, quia seipsum interimeret, cùm nemo propriæ vitæ sit dominus, vt benè docent Lessius *de iusti. lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 20.* Caraffa *de Duel. tract. 3. quæst. 1. sect. 3.* D. Thom. 1.2. *quæst. 73. art. 9. ad 2.* & 2.2. *quæst. 59. art. 3. ad 2.* & Victoria *in Relect. de Homicid. num. 23.* cum alijs *communitèr*. Dixi, quòd *peccaret*, at hoc intelligo, nisi inuincibilitèr ignoret, sibi illicitum esse venenum ebibere, iuxtà communiorem, & veriorem Doctorum sententiam, quidquid aliqui in contrarium asserant, censentes idem esse, damnatum sumere venenum, ac pergere ad locum necis, cùm tùm bibere, tùm ire non sint actus seipsum directè perimentes. Cæterùm sequamur primam, vel secundam quam maluerimus opinionem, vtraquè prò nostro casu concedit, nulli licere seipsum occidere.

4 An autem saltèm liceat vitam abbreuiare? Respondeo cum distinctione. *Vel* enim aliquid fit cum præuisione talis abbreuiationis, sed non intentæ: *Vel* ex illius intentione: *Primum* concedo, *secundum* nego. Hinc assero licitum esse carnem moderatè affligere mortificationibus, ieiunijs, pænitentijs, studijs &c. ea intentione, vt caro spiritui pareat, dummodò naturæ necessaria concedantur, nec per hoc impediatur quis ab adimpletione sui officij, etiamsi indè vitæ breuitas sequatur; & ideò hoc licitum est, & honestum, quia homo non tenetur, vt diutiùs viuat à prædictis abstinere, quin potiùs obligetur ad virtutum opera exercenda. Sanch. *Consil. Moral. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 33. num. 11.* & Azori. *Instit. Moral. part. 3. lib. 2. cap. 3. quæst. 13.* Secùs esset, si fieret intentione abbreuiandi vitam, quia hoc non licet, cùm sit quodammodò se occidere. Caietanus *in 2. 2. quæst. 147. art. 1.* Azor. *loc. cit.* & Sanch. *vbi suprà, num. 9.*

Similitèr Granado *in 2. 2. D. Thomæ, controuers. 3. tract. 6. disp. 2. sect. 3. num. 12.* refert opinionem Victoriæ docentis, quòd

quamuis Medicus dicat fore vt vita alicuius protrahatur ad decem annos, vel secundùm aliquos etiam ad duodecim, si vinum bibat, aut si à pænitentijs se abstineat, poterit nihilominùs vinum non bibere, nequè pænitentias omittere, licèt tot annorum vitam sit amissurus, seclusa semper intentione sibi vitam abbreuiandi, quia tali animo vellet se paulatìm occidere, quod illicitum est. Igitur carcerato Iudici exquirenti, an possit sibi cibis nociuis vitam abbreuiare, nè ad ignominiosam mortem damnetur, respondendum est negatiuè.

5 Nec contrà mox dicta obstat si dicatur, quòd non licèt cuicunquè se occidere, quamuis ei vnus tantùm dies superfit vitæ; ergò à fortiori nequè poterit quis per multos annos pænitentijs sibi vitam abbreuiare. Respondetur enim negando paritatem, nàm in primo casu est peccatum proptèr homicidium, non verò proptèr subtractionem illius diei; at in secundo casu homo gubernat vitam modo debito circà Diuina obsequia, quæ plerumquè in rebus vitæ corporali contrarijs consistunt, quidquid sit, quòd vita prætèr intentionem abbreuietur. Immò hoc non solùm procedit in rebus prò Dei amore afflictionis, verùm etiam in alijs propriæ commoditatis, proùt aliqui apud Bonacinam relati *in tract. de restit. disp. 2. quæst. vlt. sect. 1. punct. 5. n. 9.* excusant à peccato mortali illos, qui ad tollendum vini calorem adhibent niuem, etiam si indè præuideant fore vt vita abbreuietur contrà intentionem, quia sic non ponitur directa cooperatio ad mortem.

Notandum tamen est, proùt etiam dixi *numero antecedenti in principio*, prædicta procedere modò moderatè adhibeantur, quia quilibèt tenetur ex Charitate seipsum conseruare. At quandò cùm moderatione ex virtutis motiuo maceratur caro, seclusa mortis, vel abbreuiationis vitæ intentione, licèt talis nolita abbreuiatio sit præuisa, tunc huiusmodi maceratio est opus laude dignum, & ratio dictat in hoc casu non esse cooperationem mortis, vel saltèm dictat esse cooperationem leuem, quæ licita est ob iustam causam, & vt corpus in seruitutem redigatur, iuxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Ità expressè dicitur à Bonacina *loc. cit.* cum Victoria, Arragonio, Nauarro, Azorio, & Toleto, cum alijs. Sic Carthusiani in mortis articulo nolentes carnes comedere non dicuntur seipsos occidere,

dere, sed non prolongare vitam, quam quis non tenetur omnibus medijs possibilibus prolongare, non solùm prò virtute, verùm etiam prò virtutis augmento, Carthusianis autem augetur abstinentiæ virtus abstinendo à carnibus in tali casu, & crescit bonum totius Religionis, vt ex Victoria, Ledesma, & alijs, docet Sanchez *in Opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 34. num. 6.*

6 Similitèr non licet velle mortem alteri accelerare sinè culpa lethali, ac sinè irregularitatis contractione; at si quis bona fide, & prætèr talis accelerationis intentionem prudentèr voluat infirmum in lecto, vt commodiùs cibum sumat, & indè mors acceleretur, nec culpa erit, nec irregularitas contraheretur. Auila 7. *par. disp.* 5. *sect.* 3. *dub.*8.

Quid sit dicendum de Iudice, de testibus falsis, & de Sempronio in præsenti casu.

7 De *Iudice* dico, ipsum grauissimè peccasse tùm peccato iniustitiæ, quam in omnium Doctorum sententia tenetur ex officio facere, etiam non obstante metu mortis; tùm peccato cooperationis ad falsas, & iuratas depositiones scitas tales falsorum testium; tùm peccato cooperationis ad capitale odium Sempronij corruptoris prædictorum, vt Caius innocentèr suspenderetur, vndè singuli sunt Rei peccati homicidij, ideòque ad restitutionem damnorum in solidùm tenentur hæredibus occisi, immò & ad restitutionem famæ ijsdem, si ob id infamia illis fuerit secuta, nec non ipsi suspenso innocentèr.

8 Et vt de iniustitia Iudicis in nostro casu clariùs constet, assero doctrinam Syluij *in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 66. art. 2. concl. 2.* Petri Nauarra *de Restit. lib. 2. cap. 3. num.* 161. Malderi *in 2. 2. tract. 6. cap. 1. dub.13.* & Lessij *de iusti. lib.2. cap.29. dub.10. num.78.* asserentium non posse Iudicem damnare ad mortem eum, quem testes conuincunt de delicto mortis, quandò ipsi Iudici priuatìm constat esse innocentem, proùt quandò ipsemet Iudex vidit delictum fuisse commissum ab alio. Ratio est, quia directè, & ex intentione occidere innocentem est per se malum tùm contrà Charitatem, tùm contrà iustitiam. Igitur multò magìs est illicitum Iudici damnare innocentem, quem scit à falsis testibus malitiosè conuictum nocentem. Immò nequè licitum est Iudici

 dam-

damnare illum, de cuius innocentia certus est, tametsi conuictus sit Reus secundùm allegata, & probata per testes, quos ille nescit fuisse malitiosos in deponendo.

9 Hinc volunt prædicti Authores, & alij cum illis, non posse Iudicem morti dictum ab eo certò notum innocentem ad mortem condemnare, licèt per allegata, & probata conuictum nocentem, sed teneri omnibus modis conari eum liberare, etiam prudentèr aperiendo carcerem, vt possit fugere, immò si non possit liberum eum dimittere, tenebitur officium renunciare etiam cum periculo vitæ si sit Iudex ordinarius; Iudex verò Superior iniustitiæ conscius, etiamsi ius palàm non faueat, mortis, & mutilationis pænam suprema sua authoritate relaxet. Ità Doctores relati, qui idem affirmant de Ministro Iustitiæ, qui contrà innocentem exequi nequit iniquam damnationem, nisi de innocentia non sit moralitèr certus, tunc enim potiùs Superiori, quàm sibi credere debet, vt notat Lessius *vbi suprà, num.* 83.

Ità est omninò tenendum prò casu nostro, cui non fauet sententia Diui Thomæ 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. & aliorum cum ipso docentium, quòd quamuìs Iudex ex priuata scientia sciat esse innocentem eum, qui secundùm allegata, & probata conuictus est Reus, poterit nihilominùs eum condemnare, quia in iudicando sustinet personam publicam Communitatis, sicque debet vti scientià publicà, non priuatà; & ideò non fauet, quia hæc sententia procedit, quandò Iudex censet testes deposuisse, & iurasse putantes se veritatem dicere, non verò si sciat eos in suis depositionibus malitiosos, & periuros esse; nàm Iudex sciens testes fore deposituros falsum contrà illum, qui dicitur Reus in causa capitali, habet sufficiens fundamentum ad iudicandum eos dicti Rei inimicos, atquè ideò non sunt admittendi in iudicio, & si fuerint admissi, non curantur, nec probant eorum dicta, vt benè notat Noster Petrus ab Angelis *de ordine Iudiciali, part.* 1. *cap.* 21. *num.* 37. si post admissionem, & testificationem de tali inimicitia innotescat.

Circà prædictam sententiam Lessij volentis Iudicem teneri officium deponere potiùs quàm innocentem damnare, notat Diana *part.* 5. *tract.* 4. *res.* 22. *in fine*, quòd si adhibitis omnibus diligentijs non possit Iudex sententiam declinare, nec officium

depo-

deponere sinè magno incommodo, poterit sequi aliam sententiam D.Thomæ, & iuxtà ritè allegata, & probata ad mortis sententiam deuenire, non obstante eius contrariâ scientiâ priuatâ.

10 De *Testibus* dico, certum esse, quòd testes, qui malitiosè falsum deponunt incurrunt pœnas periurij, & tenentur ex iustitia damnum indè sequutum restituere. Nauarr. *in Manual.cap.25. num.*40. Sotus *de iusti. lib.* 5. *quæst.* 7. *art.*4. Sanch. *Consil. Moral. tom.*2. *lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 21. & alij. Vlteriùs in causa mortis, Rei sunt homicidij, & infamiæ illatæ, vt ex se patet, etiam quoad hæredes occisi, atquè ideò tenentur ad resarcienda damna sequuta tùm ex homicidio, tùm ex illatione infamiæ, præsertìm per impositionem falsi criminis, vt tradunt DD. *communitèr*, & nominatìm de mea Religione Antonius à Spiritu Sancto, Gabriel à S.Vincentio, & Andreas à Matre Dei *de iusti. & iure*, *tract.* 13. *cap.*4. *punct.* 9. *num.* 117.

11 Adeò verum est, non licere falsum crimen alicui imponere, vt Innocentius Papa XI. *sub die* 2. *Martij* 1679. damnauerit *in suo Decreto num.*43. & 44. has duas propositiones. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere*. Deindè istam: *Probabile est non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat*. Igitur quantò magis peccauerunt testes in casu nostro imponentes falsum crimen in iudicio, vndè mors infamato iniustè sequatur, etiam nullo habito motiuo alicuius defensionis propriæ ipsorum?

Et quia prædicti testes fuerunt periuri, propterea est notandum, quòd omnes periuri apud omnes nationes repelluntur à testificando in iudicio, etiam absquè Iudicis sententia, sed sufficiet, quòd tales fuerint probati in iudicio; nàm qui semèl peierauit in iudicio præsumitur semper peieraturus. Sic N. Anton. à Spir. Sanct. *de iusti. & iur. tract.* 5. *disp.* 1. *sect.* 14. *num.* 93.

Item periuri notorij post sententiam declaratoriam reputantur infames tùm Iure Canonico, tùm Ciuili. Castr. Palaus *de iuram. disp.* 1. *punct.* 11. *num.* 2. Immò Iure Canonico puniuntur graui pænitentia, vt si sit Clericus, depositione, & reclusione in arctum Monasterium, *cap. Quicunquè*, apud N. Antonium à Spir. Sanct. *loc. cit. num.* 91.

12 Testes, qui culpabilitèr iurantes deposuerunt falsum in re capitali, si sperent profectum tenentur se retractare, & idem est de deponentibus falsum in re, ex qua mutilatio sit inferenda, & talem retractationem tenentur facere, etiam cum periculo æqualis pœnæ, quia in pari causa melior est conditio innocentis. Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 30. dub. 7. num. 53.* Si verò dicti testes dubitent de profectu si retractent, & timeant pœnam maiorem, adhùc tenentur, quia debent facere, & experiri quod eorum est. Itâ Strouersdorff. *in 1. 2. quæst. 70. art. 4. concl. 3.* Dato posteà casu reuocationem non profuturam, tunc non tenentur reuocare, sed sola damna resarcire. Nauarr. *de restit. lib. 2. cap. 3. num.* 201. nomine autem damnorum veniunt tùm illata in bonis, tùm in fama in nostro casu.

13 De *Sempronio* totius præallegatæ iniustitiæ causa, dico, quòd ad omnia tenetur insolidùm cum Iudice, & testibus, ad quæ tenentur etiam isti, proùt suprà notaui. Constat hoc, quia ipse induxit omnes ad detrahendum per impositionem falsi criminis, sicque peccauit contrà iustitiam, & tenetur restituere famam, si non restituatur ab inductis, *cap. non solùm* 11. *quæst.* 32. Item tenetur, quia ipse fuit mandans, vt mors ignominiosa inferatur Caio innocenti, & certum est in omnium sententia, mandantem teneri insolidùm cum mandatario restituere, effectu sequuto. Bonacina *de Restitut. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 3. Lessi. *de iusti. lib.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 11. & alij *communitèr*.

14 Insupèr mandans tenetur restituere damnum sequutum mandatarijs ex vi mandati. Sic cum Villalobos, & Rebello tradit Trullench *in Decal. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 2. *num.* 1. & alij passìm; dummodò tale damnum sit eius generis, quod communitèr solet contingere mandatarijs ex re mandata; aliàs mandans non tenebitur de alio damno omninò per accidens ijsdem sequuto. Thom. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 3. vbi etiam obseruat, mandantem non teneri ad damnum mandatarijs sequutum, quandò isti spontè se obtulerunt, mandato, vel ob id lucrum reportant, quia volenti non fit iniuria; secùs si fuerint seducti, vel coacti. Itâ N. Andr. à Matre Dei, *de iustit. tract.* 13. *cap.* 1. *punct.* 5. *num.* 118. & cum Dicastillo N. Anton. à Spir. Sanct. *in Directorio Confessariorum, part.* 3. *de Restit. tract.* 10. *disp.* 29. *sect.* 2. *num.* 1396. Dato quòd mandatarius in exequendo man-

dato

dato excedat huius limites in re extraordinaria, imputabitur ipsi, non autem mandanti totus excessus, cuius mandans non fuit causa efficax. Diana *part. 8. tract. 7. res. 33.* cum Azorio, & alijs *communitèr*. Dixi, *in re extraordinaria*, quia si excessus sit factus in re, quæ ex mandato solet occidere, vt v. g. si mandans iusserit furari centum, & mandatarius furatus sit centum, & quinquè, vel si iusserit grauem percussionem, seù grauem vulnerationem, & mandatarius occiderit, totum imputabitur mandanti, quia hæc sunt proxima mandato. N. Anton. *loc. cit. num. 1395.*

Itaquè prò interrogatione, & petitione à prædicto carcerati Iudicis Confessario mihi factis summo manè, eadem die in vespere dedi ipsi hactenùs scripta, quæ prò casu suo sufficere censui, sicutì & ipsi satis fuisse approbauit.

INTERROGATIO XVI.

An possit Artifex sibi retinere superflua ex datis prò opere determinato.

IN Magno Castro intrà Mediolanum sito, solitum cùm esset prò solemnitate S. Iacobi in die Festo illius omnia tormenta bellica explodere, variosque ignes artificiosos quot annis suprà dicti Castri muros publicè facere compositos à Petro in hac arte perito, datà ei ad hunc effectum ab E. Castellano determinata pulueris tormentarij quantitate, post mortem Petri, impositum hoc munus fuit Paulo. Isti similitèr singulis annis in eadem quantitate tormentarius puluis dabatur, vt prò eadem Festiuitate similes componeret ignes, proùt à Petro fiebant. Accipiebat Paulus dictum puluerem, cum quo omninò similes, & insupèr varios, curiosos, pluresque in numero artificiosos faciebat ignes, etiam toto puluere sibi dato non adhibito, prò se retinens non consumptum. Contigit me simùl esse cum dicto Paulo, quem cùm laudarem de admirabili sua arte proùt ab alijs audieram, licèt non viderim, dixit se non solùm semper iuxtà mentem E. Castellani fecisse similia factis à Petro prædecessore suo, verùm etiam plura in numero, & pulchriora, sibi tamen retentò artis suæ industrià puluere, qui supererat; quarè an tutà con-

scien-

scientia posset illum retinere, vel an teneatur restituere me interrogauit?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 In proposito casu puto potuisse Artificem ignium tutà conscientia sibi retinere quidquid de puluere accepto superfuit, stante quòd præstiterit id, ad quod tenebatur, scilicèt artificiosos ignes festiuè ostendere similes solitis ostendi ab Artifice prædecessore, cùm sic fuerit à successore Artifice petitum, data isti ad talem effectum determinatum solita pulueris tormentarij quantitate, quæ defuncto Artifici dabatur. Ità assero, quia in hoc casu datur contractus iunominatus, *do vt facias*, vndè quandocunquè qui dat alteri, vt certum quid determinatum recipiens faciat, si iste integrè rem exigitam facit, non tenetur aliquid restituere, quidquid sit, quòd tali, vel tali propria industria illam fecerit; & præsertìm si vltrà factum petitum à dante ipse recipiens aliquid aliud fecit tùm danti, tùm inspicientibus gratum, & quidèm ad pompam maiorem Festi ex industria Artificis in præsenti casu, atquè ideò si sibi partem pulueris reseruauit, poterit tutè retinere tamquàm meri fructus suæ industriæ; immò nequè Castellanus potest prætendere restitutionem residui pulueris ab ipso absolutè dati Artifici, vt faceret statutum ipsi opus, proùt completè fecit, iuxtà naturam contractus innominati facti intèr Castellanum, & eumdem Artificem, *do vt facias* tale opus, & nihil dictum est, quòd in illo totum datum impendatur.

Responsio latè scripta.

2 Quia casus præsens fundatur in contractu à Moralistis dicto *contractus innominatus*, nempè *do vt facias*, notandum est, huiusmodi contractum posse fieri, vel addita aliqua *limitatione*, vel *absolutè*. Tunc dicetur factus *absolutè*, quandò dans puluerem tormentarium Artifici, dicit *do* tibi quinquaginta libras pulueris, *vt facias* decem ignes artificiosos similes solitis fieri prò tali Festo, nec aliud habet in consideratione de insumendo, vel non insumendo toto puluere dato. Tunc posteà dicetur factus cum *limi-*

limitatione, si dans puluerem exprimeret se velle totum insumi; & in isto casu si totus non adhibeatur, restituendus erit, qui superfuit, quamuis decem ignes exigitos Artifex arte sua fecerit; nàm sic constat dominum dantem puluerem nolle, vt pars aliqua illius ad Artificem nulla ratione perueniat. At quandò dictus contractus est *absolutè* factus, tunc sufficere debet danti, si integrè faciat petitum ille, qui accepit, adeoquè iste nihil tenetur restituere, quia si quid lucri Artifici remaneat, non est nisi fructus suæ industriæ, vtpotè peritissimo in arte componendi ignes; igitur in casu nostro cùm contractus factus sit *absolutè*, nulla datur restitutionis obligatio in Artifice, à quo plenè fuit factum totum, quod ab eo fuerat requisitum per contractum, *do vt facias*; quarè si quid superfuit ex solà industrià Artificis, hoc illius proprium erit, iuxtà DD. *communitèr*.

3 Contra prædicta non obstat, si dicatur Artificem fuisse conductum ab E. Castellano cum determinata salarij solutione, vt prædictos ignes componeret, sicque teneri ex iustitia eos facere, distribuere, & inflammare, atquè ideò non potest retinere aliquid sibi obuentum prò opere aliàs debito ex iustitia; & prò hac obiectione facit Tannerus *in 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 10. num. 291.* vbi ait, quòd in contractu innominato, *do vt facias*, debet restitui quidquid acquiritur prò opere aliàs debito ex iustitià. Respondeo concedendo assertum Tanneri, sed negando intentum obiectionis, quæ nihil probat in casu nostro, in quo Artifex nihil acquisiuit prò opere aliàs ab eo ex iustitia debito, sed solùm cum propria industria ex materia sibi *data vt faceret*, ipse petita ad vnguem fecit, immò & ad abbundantiam alios ignes spontè addidit, adhibens in omnibus de solo puluere tormentario sibi dato, totalitèr tamen adhùc non consumpto, proùt de plano fuisset consumendus, nisi Artifex industriam suam apponere voluisset, vt faciendis exactè factis, superfluum, seù residuum pulueris ex industria reseruatum, sibi lucrum afferret absquè aliqua restitutionis obligatione; nàm fructus industriæ ex re aliena non esse restituendos à bonæ, vel malæ fidei possessoribus, docent D.Thom. 2. 2. *quæst. 68. art. 3.* Sanch. *Sum. lib. 2. cap. 23. num. 46.* Lessi. *de iusti. lib. 2. cap. 12. num. 114.* & alij. Quære etiam *infrà, num. 4.*

Est etiam notandum dari duas obligationes in Artifice in proposito casu: *Vna* est, componendi artificiosè ignes ex sibi dato

tormentario puluere: *Alia* est, ponendi suam operam, suumque laborem, prò isto sibi data solutione, vt ex accepta materia componat, distribuat, & incendat ignes. Hinc apertè apparet non habere hìc locum Tanneri assertum *loc. cit.* nam quandò Artifici dixit E. Castellanus, vel alius, tibi *do vt facias*, non exigit ab Artifice opus aliàs ab illo ex iustitia debitum, sed tantùm *dat vt faciat* id, ad quod antè nullatenùs tenebatur, & propterea vt faciat datur ei materia adhibenda in opere, & stipendium laboris in operando. Igitur in nostro contractu innominato ex parte accipientis nihil acquiritur prò opere aliàs debito ex iustitia, sicque nec tenetur aliquid restituere, nàm si aliquid acquisiuit, fuit fructus industriæ, non autem rei, quia puluis tormentarius non fructificat ex natura sua.

4 Et cùm certa sit communis sententia relata à Naldo *Sum. verb. Contractus, num. 4.* nempè contractum intelligi celebratum secundùm consuetudinem loci, in quo initur, sic in casu nostro contractus factus intèr E. Castellanum, & Artificem ignium intrà Castrum occasione Festiuitatis S. Iacobi, intelligitur factus secundùm consuetudinem, quæ est quòd datur huiusmodi Artifici determinata pulueris tormentarij quantitas, vt certus ignium numerus, v. g. ad similitudinem stellarum ab eo componatur, & publicè incendatur, ità vt possit dictus Artifex totum puluerem sibi datum in imposito sibi opere insumere, quamuìs sciat cum labore, & industria non totum adhibere, quem laborem, quamue industriam præstare ex obligatione non tenetur ergà rem domini; propterea de quocunquè Artifice, vel negotiorum Gestore, qui in aliquo opere, vel negotio specialem laborem, vel industriam adhibet, ratione cuius augmentum facit, poterit istud sibi retinere, quia talem laborem, ac industriam non tenebatur impendere. Ità omnes concedunt, vt notat Nald. *in Sum. verb. Restituere, num. 19.* sicque docent nominatìm Nauarr. *cons. 4. de furt.* & *cons. 12. de vsur.* & Philiar. *de offic. Sacerd. quæst. 2. lib. 5. cap. 31.*

5 Fauet Artifici casus nostri ad eum deobligandum à restitutione partis pulueris sibi indrustiosè reseruati, communis doctrina de Thesaurario alicuius Principis, vel de Procuratore, ac seruo, qui habentes pecunias Dominorum suorum ad expendendas, vel conseruandas, cum illis negotiantur, & lucrum sibi retinent,

tinent, quod restituere non tenentur, quia est fructus industriæ concurrente pecunia tamquàm instrumento, quod ex se est infæcundum. Beia *part.* 1. *cas.* 42. & Diana *part.* 1. *tract.* 8. *res.* 32. Idem sequitur dicendum de Artifice prædicto, qui mediante puluere accepto implet seruitium Domini, & per propriam industriam aliquid acquirit prò se, mediante eodem puluere tamquàm instrumento, vt quia illum v. g. alibi commutauit, vbi viliori pretio puluis tormentarius venditur &c.

6 Deniquè obseruo potuisse Artificem accipere v. g. centum libras tormentarij pulueris ab E. Castellano cum expresso ordine, vt omninò centum libræ pulueris insumantur, non tamen obligauit Artificem, vt puluerem indiuidualitèr datum adhibeat, & sic tunc centum libras dictas debet adhibere, nec sibi aliquam potest retinere partem. Tamen poterit per industriam suam ipse Artifex vendere dicti pulueris v. g. sexaginta libras prò Iulijs v. g. sexaginta iuxtà valorem sic currentem in vno loco; deindè cum dictis sexaginta Iulijs emere in alio loco, vbi puluis tormentarius adeò diuerso pretio venditur, vt cum sexaginta Iulijs centum libræ emantur; & indè sequetur Artifici lucrum quadraginta librarum pulueris, quem non tenebitur restituere, vtpotè fructus industriæ. Hæc benè probantur à pari de Domino dante seruo centum aureos in auro, vt soluat suo creditori, non curans qua specie pecuniarum id fiat, & seruus commutat aurum cum lucro, quod poterit sibi retinere, soluendo tantùm centum creditori, quia tale lucrum est fructus industriæ eiusdem serui. Ità Molina, Reginaldus, Rebellus, Lessius, & alij, quos refert, & sequitur Diana *vbi suprà*. Secùs tamen esset, si Dominus velit, vt in eodem auro soluat ipse seruus; aut si velit sibi dari omnes fructus per industriam receptos. Igitur idem à pari clarè concludendum est de Artifice in casu nostro, qui integrè impleuit sibi demandata, immò & plura alia cum lucro per propriam industriam recepto.



INTERROGATIO XVII.

An sit denunciandus Quæstuarius rogatus in agro à quadam Rustica, vt eam confiteatur, prout se facturum promisit, si prius sineret se cognosci ab eo, qui omninò ignotus eidem mulieri, ista nescit dicere vndè ille venerit, nec cuius habitus, seù Religionis fuerit?

EX Ciuitate Papiæ iter agebam versùs Ferrariam in cymba; in qua intèr plures itinerantes erat vnus Religiosus, qui mihi casum sibi in Confessione in quodam loco obuentum narrauit, nempè quòd Rusticam nuptam confessus sit, quæ per biennium adulterij peccatum à se semèl commissum in varijs confessionibus suis ob pudorem semper reticuit. Deniquè ipsi contigit dùm in agro laborabat, accessisse ad eam ex motiuo quæsturæ quemdam habitu veluti Religioso indutum, cuius autem Religionis, atquè Regionis esset omninò ipsa non nouit, sed illum rogauit, vt eius confessionem audiret; respondit ille se libentèr sic facturum, si ei concedat rem secum habere, à quo peccato poterat postea in sua confessione eam absoluere; consensum præstit mulier, quæ statìm apud eumdem de omnibus peccatis suis confessa est; sed quia dicta Rustica post mensem cæpit dubitare an talis confessio fuerit valida, voluit prò quiete suæ conscientiæ altum adire Confessarium, & iste fuit supradictus Religiosus, qui mecum erat in naui, mihique prædictum casum narrauit dicens, se fuisse in magna perplexitate, an obligare deberet dictam fæminam ad denunciandum illum, qui totalitèr erat ipsi ignotus, & præsertìm quia fortasè non erat Confessarius, immò nequè Sacerdos, & tandèm se illam obligasse ad casum deponendum D. Inquisitori omni meliori modo quo posset, vt deindè ad ipsum reuersa, integram faceret confessionem, & absolutionem reportaret; tamen prò confessione nunquàm redijt; quid ergò in hoc casu ego fecissem dictus Religiosus me interrogauit?

Res-

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Prudentèr, rectè, & necessariò singula narrata à secundo verè Confessario fuerunt facta; nàm quamuìs Rustica minimè nouerit cuius Ordinis esset Quæstuarius ille, à quo petijt in confessione audiri iudicans illum esse legitimum Confessarium, tamen etiamsi nec esset Sacerdos, adhùc fuisset denunciandus, & quidèm ex duplici capite, scilicèt tùm quia occasione, seù prætextu Confessionis sollicitauit mulierem, à qua vt eam confiteretur fuerat requisitus; & hoc certissimum est, si talis sollicitans erat Sacerdos ad confessiones approbatus; tùm quia licèt fuerit Sacerdos, sed non prò confessionibus approbatus, aut fuerit Laicus, tamen denunciandus erat, nedùm ex vi Bullarum contrà sollicitantes, iuxtà plurimorum Doctorum sententiam, verùm etiam ex vi Edictorum DD. Inquisitorum, proùt omnes concedunt. Hinc benè fuit admonita Rustica de sua obligatione denunciandi suum sollicitantem, quem quamuìs non nouerit cuius Ordinis sit, poterit, & debebit illum describere meliùs ac sciat, tacendo an ipsa consenserit, nàm de hoc non requiritur. Immò non solùm benè fecit, sed tenebatur illam monere vtpotè ignaram de tali obligatione, ad quam monitionem tenentur sub mortali Confessarij; & si pænitens nolit denunciare, non potest absolui. Facta posteà denunciatione poterit Rustica absolui in Confessione, quam facere tenetur repetendo peccata saltèm mortalia, si quæ per biennium confessa est, sed non absoluta, ratione inualiditatis confessionum, quarum numerum exprimere tenetur, quia sacrilegæ fuerunt proptèr voluntariam reticentiam peccati mortalis adulterij cum Quæstuario commissi. Si verò Rustica ad denunciandum non iuerit, nequè ad verum Confessarium reuerti voluerit, ipsa cogitet, sibique consulat, cùm iàm plenè directa fuerit, & instructa. Ità sentio, & ego quoquè sic cum illa me gessissem.

Responsio latè scripta:

2 Notum est, Pontifices Pium IV. Paulum IV., & Clementem VIII. Bullas edidisse, mandantes esse denunciandos Confes-

farios sollicitantes ad venerea pænitentes mulieres in confessione.

3 Notum quoquè est, Gregorium XV. similem edidisse Bullam, in qua non solùm comprehenditur sollicitatio mulierum, verùm ampliatiuè comprehenditur sollicitatio cuiusuis personæ facta à Confessario ad venerea, non verò ad quodcunquè aliud peccatum, quamuis grauius.

Est etiam amplior Bulla Gregorij XV. quatenùs Pius IV. Paulus IV. & Clemens VIII. per sua Decreta volunt solùm Sacerdotem in confessione sollicitantem esse denunciandum, nullam imponentes pænitenti obligationem denunciandi, excepta obligatione, quæ de iure naturæ inest; verùm Gregorius XV. in sua Bulla mandat esse denunciandum Confessarium, siuè sollicitet in confessione, siuè extrà, antè, vel post, siuè in confessionario, siuè in loco confessionibus deputato, siuè alibi simulans audire confessionem, siuè in eum pænitente inhonesta tractet; & ad denunciandum idem Gregorius præsupponit pænitentem teneri, & insupèr mandat in eadem sua Bulla omnibus Confessarijs, vt eorum pænitentes sollicitati, eos de sua hac obligatione moneant.

4 Cognitionem delicti Confessariorum sollicitantium omnibus Inquisitoribus Orbis Christiani committit in sua Bulla dictus Gregorius XV. necnon Ordinarijs locorum simùl cum iisdem Inquisitoribus, vel separatìm. In Decretis verò Pij IV. & Clementis VIII. solùm committitur dicta cognitio Inquisitori Generali Hispaniæ, & ab eo deputatis; at in Decreto Pauli IV. committitur Inquisitori Generali Lusitaniæ, & ab eo deputatis. Cæterùm in nullo ex prædictis Decretis imponitur excommunicatio contrà non denunciantes, imponitur tamen ab Inquisitoribus, vt benè notat Noster Antonius à Spir. Sanct. *in Directorio Confessarior. part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 18. *sect.* 4. §. 1. *num.* 1431.

5 Dicta irrefragabilitèr procedunt de Sacerdotibus ad confessiones audiendas approbatis; sed quid dicendum sit de Laico, qui se fingit Sacerdotem, vt in simulata confessione fæminæ istam sollicitet; aut de simplici Sacerdote non approbato confessiones excipiente, & fæminam sollicitante? Dico Laicum quantùm ex hoc capite non esse denunciandum. Ità Portell. *in Addition. ad dub. Regular. verb. Sollicitare, num.* 14. Diana, & Sanctarellus, quos refert Thom. Hurtad. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 117. ipse tamen

cum

cum Giptio contrarium tenet. Idem de simplici Sacerdote asserendum est, qui se approbatum fingens excipit confessionem, & pœnitentem sollicitat. Ratio cur nec Laicus, nec simplex Sacerdos prædicti quantùm ex vi Decreti Gregorij XV. non sint denunciandi est, quia dictus Pontifex solùm loquitur de Sacerdote approbato, proùt cum Fagundez, & Portell. dicit Hurtad. *loc. cit. num.* 125. Nihilominùs Sancius, Freytas, Acugna, & Diana apud ipsum Hurtadum contrarium tenent non sinè fundamento, vt refert N. Antonius *vbi suprà*, sed *num.* 1447. Vide *num. seq.*

6 Iàm igitur ex præallegatis prò nostro casu concludendum venit, Quæstuarium Rusticæ sollicitatorem fuisse denunciandum ex omni capite, siuè fuerit Laicus, siuè simplex Sacerdos non approbatus, & maximè quia fortasè de facto erat vnus ex approbatis, siuè fuerit Ecclesiasticus, sed non Sacerdos; nàm Laici, seù Ecclesiastici non Sacerdotes si Confessiones audiant, sunt denunciandi Inquisitoribus, qui contrà illos procedent ex Constitutionibus Pauli IV. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. relatis à Scortia *in Bull. Pontif. epit.* 162. *theorem.* 403. Sanctarell. *de Hæresi, cap.* 42. *dub. vnic. num.* 5. & Barbosa *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 110. *num.* 18.

Item simplices Sacerdotes non approbati, seù carentes iurisdictione si confessiones audiant sunt denunciandi etiam in terminis Bullæ Gregorij XV. si pœnitentes sollicitent; & hoc dicitur certum à Castro Palao *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 1. penès Dianam *part.* 4. *tract.* 5. *res.* 8. quia absolutè censentur Confessarij, cùm Ordinis potestatem habeant, & possint ab omnibus absoluere in articulo mortis, aliàs quilibèt Sacerdos sollicitans posset dicere, se ausum fuisse pœnitentem sollicitare, eò quòd iurisdictionem non haberet absoluendi à peccatis, quæ sibi erant confessa, quod esset eludere Inquisitionis Decreta, & Pontificum Constitutiones; & quidèm iuxtà illam Gregorij de hoc nequit esse dubium, quia talis Sacerdos verè simulat confessionem audire, & sic simulans incitat pœnitentes ad Venerem, & de confessionem simulantibus loquitur expresè in sua Bulla dictus Pontifex. Sic Palaus, & ità tenendum est, quidquid dicat Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 16.

Deniquè si Quæstuarius erat verè Sacerdos approbatus, certum est, quòd fuerit denunciandus, nec contrarium dici potest.

7 Dif-

7 Difficultas in casu nostro videtur posse fieri, an stante omnimoda nescientia Rusticæ qualitatum, immò & personæ Quæstuarij, à quo fuit sollicitata vt præfertur, teneatur denunciationem facere, cùm ista foret inutilis, ac sinè effectu à Pontificibus, seù Inquisitoribus prætenso in illorum Bullis, ac Edictis, si delinquens nec cognoscatur, nec indiciari possit? Respondebit fortasse aliquis, obligationem denunciandi non adesse in isto casu denunciationis inutilis, eò ipso quòd reus est omninò ignotus etiam quoad habitum, vndè quod inutilitèr fieret, non est faciendum; in Iure enim non fieri, & inutilitèr fieri paria sunt. *l. pen. in prin. ff. de suis, & leg. hæred.* & *l. quotiès*, vbi Gloss. & DD. *ff. qui satisd. cog.* Tiraquell. *ad l. connub. gloss. 1. p. 6. n. 12.*

Nihilominùs negandum est fore inutilem denunciationem in præsenti casu; nàm verè vtilis dicenda est, quatenùs aliquandò poterit inducere in cognitionem delinquentis, si reperiatur, seù videatur in aliquo loco, præsertim vbi, aut propè vbi crimen commisit, datis indicijs Ministro Sancti Officij prò captura; proùt talia indicia fuerint in denunciatione à denunciante deposita, & habita ex responsionis ad interrogatoria D. Inquisitoris.

Item talis denunciatio vtilis erit ad cognoscendum reum, si fortè secundò, tertiò, aut pluriès similitèr peccet, sicque ab alia, vel ab alijs sollicitatis denuncietur cum expressione habitus Æremitæ, aut Ordinis alicuius, vndè carceretur, recognoscatur &c. quamuìs varijs in locis delinquat. Ità censeo esse tenendum, tùm quia *qui non potest facere quod debet, tenetur saltèm facere quod potest*; & sic cùm sollicitata non possit facere denunciationem, quæ clarè, & determinatè, ac distinctè fieri debet, tenetur eam facere proùt potest; tùm quia cùm *vtile per inutile non possit vitiari*, iuxtà *Iuris Regulam 37. in 6.* & denunciatio qualitercunquè facta à Rustica in casu nostro vtilis sit, vt dixi, consequentèr si quid sequatur inutile, per hoc illa minimè vitiatur, adeoquè est omninò facienda, & ideò ad eam rectè obligauit Confessarius pænitentem, quæ si ad Confessarium facta denunciatione reuersa fuisset, & confessionem omnium peccatorum suorum saltèm mortalium fecisset cum expressione numeri sacrilegarum confessionum per biennium factarum, tacitò ob pudorem adulterio cum Quæstuario admisso, tunc potuisset, imposita ei debita pænitentia, absolui.

IN-

INTERROGATIO XVIII.

An sit denunciandus Confessarius vocatus à pœnitente ægrota, si ad eam eat non animo confitendi, sed solùm vt & prò de eius scrupulis reprehendat, & prò affectu ergà eam, totum ei exprimens quibusdam verbis, & actibus?

ÆGrotans pia adolescentula in lecto detenta dolore pedum, fecit ad se vocari suum Confessarium vero animo se confitendi. Aduenit vocatus, qui statìm dixit decumbenti: Sum hìc non vt tuam Confessionem audiam, sed quia cùm simus amici, nunc tecum volo tibi animum meum aperire, breuitèr tamen quia in præsenti non possum retineri à te, quæ confessiones tuas solita es in longum protrahere, quapropter ad te confitendum commodiùs alia vice reuertar. Respondit puella, dicas igitur quid velis. Statìm extendit Confessarius manum suam suprà gulam illius dicens: Volo te non esse scrupulosam, deindè admouens manum ad eius os ait, & ideò volo, quòd lingua tua muta fiat ad scrupulos confitendos, proùt facere est consueta, adeoquè ex solo affectu, quo te prosequor nunc libentèr hùc veni. Dictos tactus respuens infirma annorum viginti, se retraxit dicens, si aliud à me non vis, nequè ego à te confiteri peto, atquè ideò ad tua negotia eas, & sic discessit. Sequenti die matrem suam ægrota rogauit, vt alium ad se Confessarium vocaret, quia ipsam præcedenti die Confessarius audire noluit sub prætextu non cooperandi tot meis scrupulis, affirmans tamen se fore reuersurum post aliquot dies, sed ego cupio confessionem non diferre. Vocauit igitur mater alium Confessarium, apud quem filia confessionem fecit, istique narrauit quid sibi cum alio Confessario acciderit, quarè in dubio erat, an istum denunciare teneatur, & responsum habuit quòd non, adeoquè dubium debebat deponere. Nihilominùs post factum iste secundus Confessarius an benè deobligauerit pænitentem à denunciando quæsiuit à docto Theologo, qui respondit, quòd verè erat obliganda, vtpotè verè sollicitata

citata à vocato ad ipsam confitendam, stantibus verbis, & tactibus sequutis. Verùm persistente vtroquè Confessario in propria opinione, conuenerunt simùl vt cuius opinionis ego essem me interrogarent, dùm Patauij in platea eiusdem Ciuitatis per transitum eram, ibi vno ex illis me vidente, & agnoscente.

Responsio oretenùs data cursim.

1 Factum prout mihi proponitur fateor plura continere ponderanda atquè exactè examinanda, vt iudicari possit an sit de illis, quæ in Bulla Gregorij XV. de sollicitantibus pænitentes continentur.

Primò, videtur posse difficultari, an quamuìs ægrota animo se confitendi vocauerit Confessarium, si tamen iste intentionem non habuit illius confessionem audiendi, sed accedens ad ægrotam isti significet se venisse non prò eius confessione, quam tunc omninò non vult audire, at vt ipsam visitet, sicque si ad inhonesta deueniat, ista sint censenda habita à Confessario denunciando tanquàm sollicitante occasione confessionis?

Secundò, an per positionem manus Confessarij supèr gulam, & os ægrotæ, quæ illum vocauerat prò confessione audienda, quam Confessarius audire nolebat, nihilominùs factus sit reus delicti sollicitationis?

Tertiò, an prædicti tactus adhibiti supèr organa vocis à Confessario casus nostri exprimente se velle illa esse muta ad scrupulos proferendos, euacuent suspicionem volitæ inhonestatis?

Quartò, an per hoc quòd Confessarius dixerit ægrotæ, *ex solo affectu, quo te prosequor nunc libentèr hùc veni*, sit denunciandus?

2 De his quatuor sic distinctis possumus duplicitèr discurrere, scilicèt vel *collectiuè*, vel *diuisiuè*. Loquendo *diuisiuè*, dico:

Ad *primum*, quòd stante vocatione facta ab ægrota, vt Confessarius veniret ad eius confessionem audiendam ad lectum tanquàm ad locum prò confessione electum, quamuìs Confessarius fuerit absquè intentione ministrandi ei Sacramentum, si cùm ea tractet de inhonestis, etiam præmissa protestatione de nolitione eam confitendi, erit nihilominùs denunciandus, quia verè occasione confessionis ad infirmam accessit, nec illum liberat, quin denun-

denunciari debeat, eius intentio nolendi ægrotam Sacramentalitèr audire. Patet hoc conuincentèr per paritatem pænitentis se ponentis in confessionario, & ibi expectantis ad eam confitendam vocatum Confessarium, qui si veniat, & se in confessionario ponat, statimque dicat, nolo te hac vice confiteri, sed volo vt sis mea amasia, vel quid simile contrà honestatem proferat, certè in isto casu talis Confessarius erit delinquens contrà Bullam Gregorij XV. de sollicitantibus, in qua quòd dicitur de Confessionario, dicitur etiam exprefsè de alio loco ad confessionem electo, proùt est quandò in lecto ægrotantis audienda est eius confessio. Nec iuuat ad excusandum Confessarium in casu nostro defectus intentionis audiendi confessionem; nàm quotiescunquè Confessarius sollicitat pænitentem, certè intendit non confiteri eam, & tamen absquè dubio est denunciandus; ergò etiam in nostro præsenti facto.

3 Ad *secundum* dico, esse rem euidentem denunciandum esse Confessarium, qui occasione confessionis tangit pænitentis carnes in facie, in ore, in gula, aut in pectore absquè rationabili necessitate, sed omninò superfluè; nàm huiusmodi tactus ex sui natura inhonestatem important, atquè ad inhonesta incitant.

4 Ad *tertium* dico, quòd non obstante Confessarij expressione sui motiui tangendi pænitentis gulam, & os, vt hæc vocis organa cessent scrupulos dicere, non propterea tollitur suspicio volitæ inhonestatis, vt patet ex data responsione ad secundum; & præsertìm quia satis fuisset pænitentem verbotenùs monere, nè sit scrupulosa.

5 Ad *quartum* dico, quòd verba amatoria pænitenti expressa occasione confessionis à Confessario constituunt istum reum denunciationis, & hoc nemo negat.

Hinc concludo, quòd si *diuisiuè* loquendo, singuli quatuor casus sunt de contentis in Bulla Gregorij XV. ità vt quicunquè ex illis fuerit commissus à Confessario cum pænitente occasione confessionis in loco prò confessione electo reddat illum sollicitantem, ac proindè denunciandum; à fortiori erit denunciandus, si *collectiuè* de omnibus est reus, sicutì talem iudico Confessarium in casu nostro.

Responsio latè scripta.

6 Ex Bullis Summorum Pontificum Confessarij sollicitantes pænitentes sunt denunciandi, præsertìm ex illa Gregorij XV. in qua statuit, quòd Confessarij, *qui personas, quacunquè illæ sint ad inhonesta, siuè intèr se, siuè cum alijs quomodolibèt perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, siuè antè, vel post immediatè, siuè occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, siuè extrà occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, vbi Confessiones Sacramentales audiantur, seù ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessionem audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siuè tractatus habuerint*, sint denunciandi.

7 Obligatio personæ vt suprà sollicitatæ denunciandi Confessarium sollicitantem est sub mortali. Ità Sanctarellus *de Hæresi, cap.46. dub. vnic. num.* 10. Acugna *de Confess. sollicit. quæst.* 21. *& seq.* Rodriq. *Quæst. Regular. tom.* 2. *quæst.* 27. *art.* 1. & alij *communitèr*; & hoc magìs clarè patet post Bullam Gregorij XV. ex illis verbis, *mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pænitentes, quos nouerint fuisse ab alijs sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes*, quæ verba quamuìs in aliorum Pontificum Bullis de hac materia non fuerint posita, tamen sub hoc onere vsu receptæ fuerunt, & ideò etiamsi per Inquisitores Edictum denunciandi non publicetur, tenebitur nihilominùs pænitens sollicitatus denunciare post habitam sufficientem notitiam dicti decreti Gregorij XV. Ità benè obseruat Sancius *in Selectis, disp.* 11. *num.* 20.

8 Ex hactenùs data cognitione obligationis in pænitente denunciandi Confessarium sollicitantem, possem hìc notare plures casus, proptèr quos ad denunciandum pænitens teneretur; nihilominùs in præsenti ponam tantùm quid sit dicendum de factis in casu nostro intèr vocatum ad confitendum, & ægrotam illum vocantem. Quidèm extrà dubium est, esse denunciandum Confessarium scientem vocari à pænitente volente confiteri, si illam sollicitet, quamuìs confessio non sequatur, siuè quia sollicitata confiteri posteà noluit, siuè quia *Confessarius audire recusauit*, aut ad alium Confessarium remisit. Ità cum Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 1. *cap.* 18. *num.* 6. dicit Diana *part.* 4. *tract.* 5. *res.* 39. & talis

est

est casus noster, in quo Confessarius sciens se vocari ab infirma, vt eam confiteatur, ad eam perexit, cui dixit *se nolle eam confiteri*; ergò exclusio intentionis audiendi confessionem, occasione cuius ad locum electum à pænitente, idèst ad eius lectum aduenit, si illam sollicitet non tollit, quin sit denunciandus.

9 Est quoquè denunciandus Confessarius, quia occasione confessionis tangit pænitentem in manu, brachio, & à fortiori in facie, pectore &c. vt docent Sancius *in Selectis, disp.* 11. *num.* 22. & Dian. *part.* 4. *tract.* 5. *res.* 5. Ratio est, quia huiusmodi tactus habiti occasione confessionis, seù in confessione possunt præsumi facti animo vlteriùs progrediendi.

10 Nec excusatur pænitens ab obligatione denunciandi Confessarium, qui eam tetigit in gula, & supèr os, licèt dixerit se velle, vt organa vocis illius sint muta ad scrupulos proferenda, nam eò ipso quòd aduenerat vocatus prò confessione audienda, non solùm ratione tactuum esset denunciandus, vt dixi *numero antecedenti*, verùm etiam à fortiori ratione expressionis, se velle eam non esse scrupulosam, quia sic addit ad factum verba, per quæ augetur præsumptio animi Confessarij tangentis ægrotam, vt exclusis scrupulis non timeat, si ab ea aliquid vlteriùs petat.

11 Confessarius vocatus prò confessione audienda ad domum pænitentis decumbentis in lecto infirmæ, si ad eam accedat, eique exprimat se non venisse ad eam prò confessione, sed prò affectu, quo eam prosequitur est denunciandus, nam ex communiori vsu loquendi, si quis exprimat mulieri se illam amare, intelligi potest, an animum ergà illam inhonestum habeat; ergò multò magis sic intelligetur, si talia verba proferantur à Confessario dùm à pænitente vocatus fuit, vt illius confessionem audiat; & ità tenet Peyrinus *de Priuileg. Minimor. tom.* 2. *Constit.* 4. *Gregor. XV.* §. 6. *n.* 21. sic dicens: *Mulieres si non solùm verbis claris, seù etiam tacitis, seù obscuris, & ambiguis, seù etiam nutibus, seù tactibus fuerint à Confessario sollicitatæ, debent eum Inquisitoribus denunciare.* Idem tenet Sousa *in aphoris. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 54.

12 Igitur ægrota in casu nostro non fuit iustè deobligata à denunciatione facienda Confessarij ad eam confitendam vocati, quamuìs aduenerit sinè animò illius confessionem audiendi, stantibus tactibus, quos fecit, & verbis saltèm ambiguis, quæ dixit, prout

proùt casus mihi propositus fuit, in quo nedùm ex vno capite, immò ex pluribus capitibus reum denunciationis se fecit.

Responsio ad prædicta, quam mihi misit Venetijs Confessarius, qui pænitentem deobligauerat à denunciando in casu nostro.

13 Legi scripta à Paternitate Vestra circà casum de quo Paduæ loquuti sumus antè dies septem, nempè de ægrota, quæ Confessarium ad ipsam confitendam vocauerat, qui cùm ad eam venisset, eique dixisset, se nolle eam confiteri, sed prò affectu ergà ipsam aduenisse, volens vt ad scrupulos proferendos haberet muta suæ vocis organa, scilicèt gulam, & os, quas partes ægrotæ Confessarius tetigit, à quibus tactibus infirma se retraxit, & absquè confessionis Sacramento Confessarius discessit. Post diem vnum vocatus fui ad confitendum eamdem, à qua requisitus an denunciare teneretur Confessarium, qui sinè Sacramenti administratione illam tetigerat, atquè ergà ipsam affectum habere clarè dixerat. Respondi non teneri; sed quia hæc mea responsio visa est non subsistens, propterea volo nunc eam subsistentem ostendere rationibus, & Doctorum authoritatibus.

14 Dico igitur me tunc attentè ad trutinam posuisse facta, & verba illius Confessarij, eaque omnia iudicasse leuia; nàm manum, brachium, vel pedem fæminæ præmere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & similia peccata dicuntur esse venialia, dummodò absit finis mortalis, & periculum pollutionis, à Nauarro *cap.14.num.31.* à Sanch. *de Matrim.lib.9.disp.46.num.16.* à Salas *in 1.2.quæst.74.tract.13.disp.6.sect.20.nu.146.* & *sect.21. num.149.* & à Freytas *in Addition. ad tract. de Confess. sollicit.quæst.7.num.28.* teste Diana *part.4. tract.5.res.5.* Vndè Portel. *in Addit. ad dub. Regular. verb. Sollicitare fæmines, num.4.* dicit, non esse accusandum Confessarium, qui verba leuia, vel aliud signum, vel opus leue facit, quod iudicio prudentis viri, nec est peccatum mortale, nec est sufficiens ad persuadendum; & probat suum assertum, quia communis opinio est, materiam leuem, & paruam excusare in omnibus delictis, saltèm à pæna Ecclesiastica, & excommunicatio non afficit venialitèr delinquentes.

Ex his patet, me potuisse deobligare pænitentem à denunciando

do Confessarium, qui tantùm ex leuitate se gessisse iudicari potest in casu nostro, siquidèm non apparet sollicitatio aliqua ad turpia per hoc, quòd pænitenti dixerit, se nolle eam confiteri, quia iam scit esse scrupulosam, nihilominùs quia eam affectu prosequitur, omittere noluit quin vocatus ad eam accederet, volens tamen vt ex eius gula, & os (quas partes per tactum leuem signauit) scrupulos inposterùm non proferrent.

En qua ratione ductus censui non esse denunciandum dictum Confessarium.

Responsio ad praedictam Confessarij responsionem.

15 Notum est, plura per se leuia non raro reddi ex circumstantijs grauia; neque omnia speculatiuè vera, esse in praxi amplectenda. Certum etiam est, praxim esse vt denuncientur Confessarij talia, vel similia cum pænitentibus habentes, proùt in nostro casu, & hoc ex continua huiusmodi delinquentium punitione per Inquisitores manifestè constat; etenim in Sanctis illorum Tribunalibus non reputantur venialia verba, tactus, & similia occasione Confessionis adhibita, quæ semper inhonestatem redolent, atquè ideò sententia docentium dari paruitatem materiæ, per quam cessat obligatio denunciandi Confessarium, vt dicebat Portellus *loc. cit.* quia etiam in genere luxuriæ datur materia parua, fuit in Officio Sanctæ Inquisitionis damnata à Clemente VIII. vt notat Nicolaus Baldel. *lib. 3. disp.* 14. *num. 3. & seq.* vndè neque speculatiuè, neque practicè illam esse sustinendam putat Diana *part. 5. tract. 5. res. 5. vers. Et tandem.*

Vlteriùs addo, quòd dato, sed non concesso, dari materiam leuem in Venere, talis tamen materia esset grauis in genere Religionis in casu sollicitationis, sicutì parua materia in die ieiunij, quæ excusat à mortali in genere temperantiæ, non excusat à mortali in genere Religionis obligantis Eucharistiam sumere ieiunè, vt omnes concedunt. Similitèr iniuria aliqua prolata in rusticum, vel Paganum censebitur leuis, verùm prolata v. g. in Superiorem Prælatum, erit peccatum mortale ratione personæ: Sic ergò Confessarius, qui occasione Sacramenti Pænitentiæ miscet aliqua impudica aliàs fortasè leuia, peccat lethalitèr ratione

ne Sanctitatis Sacramenti, cui detrahitur per prædicta, nam Sacramenta Sancta Sanctè administranda sunt, ex Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reform.* non verò iniuriosè, & scurrilitèr, & cum scandalo, vel auersione Fidelium ab eorumdem vsu.

Est ergò concludendum, fuisse obligandam infirmam casus nostri ad denunciandum Confessarium, præsertim quia in foro externo ad incurrendam pænam, damnandamque personam tanquam lasciuam, prædicta tùm verba, tùm tactus cum pænitente volente se confiteri, iudicantur peccata mortalia ex impudicitiæ voluntate saltèm tacita, sed sufficientèr indicata, vt forus externus possit procedere.

INTERROGATIO XIX.

An Conuentus N. cuius Superiori, vel cui Conuentui fuit data eleemosyna prò certo Missarum numero, sed sinè expressa obligatione, quòd ab ipsis Religiosis dicantur, si dictus Superior, vel Conuentus dictam eleemosynam cum Missarum obligatione det alteri reputato fideli, sed post aliquot annos detectus fuit infidelis, & non satisfecisse, teneatur idem Superior, ac Conuentus per se, vel per alium supplere?

IN Ciuitate N. Iuris Imperij, per quam transeunte me, ibique de nocte hospitante fui interrogatus quid resoluerem in isto casu. Multarum Missarum eleemosyna celebrandarum fuit data Superiori cuiusdam Conuentus, sed huiusmodi obligationem ille transtulit in quemdam reputatum fidelem, qui dicebat se esse librarium (prout verè erat) sicque varijs Religionibus libros se vendere prò Missis asserebat, sibi retentà eleemosynà prò illorum solutione; & præfato Superiori dabat in scriptis fidem satisfactionis subscriptam ab emptoribus librorum, sed post tempus comperta fuit horum omnium falsitas, propterea interrogatus ego quid de isto facto responderem, respondi vt sequitur.

Respon-

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Iste non est casus adeò facilis responsionis, vt nullo adhibito studio possit statìm plenè resolui. Hoc præsertìm assero, quia aliqua hinc indè à me audita non ordinariam inducunt dubitationem, eaque nimìs longum, & fortasſè non finè confusione esset vocetenùs conari clarè, & resolutoriè enucleare. Scriptura ergò requiritur, quam citiùs ac potero dabo.

Responsio latè scripta.

2 Ad quæsitum propositum fuit responsum à quodam Theologo, quòd Superior, ac Conuentus teneantur totalitèr supplere, vel per alios dando istis nouam eleemosynam, & hanc ex proprijs pecunijs Conuentus, quamuìs receptam eleemosynam à petentibus Missas in alios transtulerint cum obligatione Missarum, supposito quòd posteà isti infidelitèr se gerentes nullatenùs satisfecerint. Prò hac sua opinione quatuor habebat fundamenta, seù rationes.

3 *Prima* illius ratio erat innixa verbis Thomæ Tamburini *in Opusc. lib. 3. de Sacrif. Missæ, cap. 4. §. 3. num. 4.* vbi dicit, Capellanum teneri per se, vel per alium supplere, quamuìs à Fundatore Capellaniæ sit ei *permissum* supplere per alium, si iste non satisfecerit.

4 *Secunda* eius ratio erat, quia qui eleemosynam dedit Superiori, seù Conuentui contraxit cum isto, non autem cum alio suffecto, adeoquè si iste suffectus non satisfecerit, contrà dictum Superiorem, seù Conuentum, non contrà suffectum actionem habebit qui eleemosynam dedit.

5 *Tertia* ratio illius erat, quia qui eleemosynam acceptauit factus est illus dominus, vndè si ista pereat, perit dicto domino, remanente tamen obligato.

6 *Quarta* ratio ipsius erat, quia sicutì Superior, seù Conuentus committens alteri, vt satisfaciat, retentà (vt supponi potest in casu nostro) sibi parte eleemosynæ sentijsset commodum si fuissent Missæ satisfactæ, ità non facta satisfactione, debet incommodum sentire satisfaciendi, & præsertìm quia non videtur

rationabile, quòd dans eleemosynam voluerit recipientes negotiari prò seipsis cum illa.

7 Nihilominùs prò resolutione negatiua facit, & est omninò notanda distinctio obligationis in *Personalem*, & *non Personalem*. Obligatio *Personalis* est illa, quæ expresè imponitur Personæ, & talis est illa Capellani ratione suæ Capellaniæ semper per se obligati, nec obstat quòd vt per alium possit satisfacere sit ei *Permissum* (quo verbo sapientèr vtitur Tamburinus *loco citato*) nam *Permissio* non deobligat in defectu, propterea in Iure id dicitur *Permissum*, per quod deuenitur ad actum. *l. ad rem mobilem 56. de procurat.*, & tradunt scribentes cum Sigismundo Scaccia; ergò Capellanus quandò secundùm permissionem imposuit satisfactionem alteri, qui non satisfecit, non fecit Capellanus quod ei fuit *Permissum*, quia vsus est altero, per quem non deuenit ad actum satisfactionis, & sic obligatio per consequens, & euidentèr adhùc remanet penès personam Capellani, quia eius obligatio est *Personalis*.

Et quòd in hoc sensu obligationis *Personalis* loquatur de Capellano Tamburinus *vbi suprà*, apertè constat ex eius ratione, & paritate, quam affert *ibi* his verbis: *Si ego emerem, v.g. picturam à te faciendam, & tu traderes illam dato pretio efformandam alteri tertio, si hic ex quocunquè casu, etiam subitanea morte correptus exequi iniunctum opus non potest, tu non eximeris ab obligatione prouidendi me de pictura*, & hoc ideò ait Author, quia Pictor fuit expresè obligatus obligatione *Personali* per verba: *Picturam à te faciendam*, & sic fuit electa industria personæ, & quandò industria personæ est electa, non potest actus fieri per alium, vt firmant in terminis Gratian. *disceptation. forens. cap.* 712. Bald. *cons.* 165. *lib.* 5. & tenent alij *communitèr*; quarè si Pictor daret emptori picturam non factam manu sua, non satisfecit suæ obligationi *Personali*, quia emens expresè obligauit Pictorem, vt ipse personalitèr faceret picturam, dùm ei dixit, *à te faciendam*. En quàm manifestè loquatur Tamburinus *loc. cit.* etiam de Capellano *Personalitèr* obligato, non obstante ei facta permissione, cùm ista non deobliget in defectu, vt dictum est. Vide *infrà*, *num.* 13.

8 Obligatio verò *non Personalis* est illa, quæ imponitur sinè explicita expressione, quòd Missæ non celebrentur per alium, vt clarè docet Tamburinus *in Opusc. lib. 3. de Sacrif. Missæ, cap. 4. §. 1. num. 1.*

num. 1. dicens: *Sit vnica regula: Quotiès Fundator non ponit hanc clausulam*, vt per se ipsum Capellanus celebret, *seù* non celebret per alium, *potest semper per alium supplere*. Deindè *num.* 2. addit: *Hinc infero idem esse dicendum in eleemosynis manualibus; si quis enim Missam à te exposcet, nec explicite postulet, vt per teipsum satisfacias, poteris per alium*; & hoc idem asserit etiam Bonacina *de Eucharistia, disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 1. *num.* 1. & ità communitèr practicatur, & tenetur à Doctoribus.

Ex datà regulà, confirmata remanent allegata *numero præcedenti*, nàm si Tamburinus non debet esse sibi contrarius, dùm *dicto* §. 1. *num.* 1. dicit Capellanum non teneri per seipsum, nisi expressè fuerit obligatus; & posteà *dicto* §. 3. *num.* 4. dicit teneri per se, vel per alium satisfacere, etiamsi fuerit ei *permissum*, vt per alium satisfaciat, si iste non satisfecerit, signum est quòd loquitur hìc de Capellano *personalitèr* obligato; verùm de alio non sic obligato, si per alium curet satisfieri, & iste non satisfaciat, in tali casu docet idem Tamburinus Capellanum ad nihil teneri, prout ex ipso dicam *infrà*, *num.* 11. Igitur dictus Author non est sibi contrarius, quia diuersimodè sentit de Capellano personalitèr obligato, & de alio non sic obligato: Et ista sunt applicanda Superiori, & suis Religiosis, nullatenus personalitèr obligatis in casu nostro.

Hinc è contrà est valdè notandum, quòd quandò Missæ celebratio est imposita Capellano (& idem est de alio Sacerdote) vt ipse personalitèr satisfaciat, si per seipsum non celebret, erit ex genere suo peccatum mortale, nisi paruitas materiæ, vel necessitas excuset per aliquot dies ex præsumpta Fundatoris rationabili voluntate, vti si Capellanus esset ægrotus. Ità cum Barbosa, Bonacina, Petro Nauar. & Card. de Lugo notat, & latè explicat Tamburin. *in Opusc. lib. 3. de Sacrif. Missæ, cap.* 5. §. 1. *num.* 1. 2. & 3. Rationem autem cur sit peccatum mortale dat ille *d. lib.* 3. *cap.* 4. §. 3. *num.* 1. nempè quia facit contrà mentem testatoris, & contrà pactum. At si quis contrà Tamburinum diceret esse tantùm contrà Fidelitatem si de facto non celebret per se, & Fidelitatem non obseruare esse peccatum veniale; respondetur, quòd neque peccatum veniale est committendum, tamen Fidelitatis defectus in casu nostro censendus est grauis, vtpotè in materia graui.

Ex hactenùs dictis constat, quòd exclusà expressà petitione dantis eleemosynam prò Missis vt istæ celebrentur personalitèr à recipientibus illam, isti poterunt semper eam in alium transferre simùl cum obligatione satisfaciendi Missis, proùt passìm fit etiam à timoratis, est enim diuersa ratio in casu obligationis *Personalis*, ac in casu obligationis *non Personalis*.

Præmissa hac distinctione ab omnibus admissa, restat inquirere, an quandò Missæ possunt cum eleemosyna transferri in alium, nec extat obligatio *Personalis*, si iste non satisfecerit, teneatur ipse transferens satisfacere per se, vel per alium? Censeo dicendum esse non teneri, quia & ex naturà contractus materiæ transferibilis, & ex certa mente saltèm tacità illius, qui mihi dedit eleemosynam, in alium cum obligatione satisfaciendi, si ego noluero per meipsum satisfacere, consequentèr si dictam translationem facio, plenè exequor quidquid fuit mihi iniunctum, sicquè ad nihil vltrà teneor, proùt lumine naturali patet, si totum in reputatum fidelem transtuli. En exemplum clarum: Ego do Caio, v. g. centum scuta vt faciat mihi tale opus à me ipsi determinatum, vel si ipse nolit per se illud facere, curet mihi fieri ab aliquo alio à se electo, cui det dicta scuta, Caius posteà noluit per se operari, sed secundùm facultatem à me habitam imposuit operationem dato meo pretio centum scutorum alteri reputato fideli, qui tamen nihil fecit, immò fugit &c. in hoc casu certè omnes affirmabunt, quòd Caius ad nihil vltrà tenebitur, quia impleuit ex parte sua totum id, ad quod tenebatur, & proùt à me fuit ei impositum, nempè vel ipse faceret mihi opus si volebat, vel si nolebat per se facere, alteri cui voluerit operationem committeret, sicutì de facto sic me consentiente commisit, adeoquè nec minima rationis vmbra apparet, cur Caius innocens ad aliquid sit obligandus. Idem omninò à pari est in casu nostro, nàm si ego do Superiori vel Conuentui sinè expressa obligatione personali, vt per seipsos tantùm celebrent tot Missas prò centum scutis, cùm sic concedam (saltèm *tacitè*, quod idem est ac si *expressè*, vt cum Doctoribus communitèr notabo *infrà*, *num.* 14.) Superiori, seù Conuentui nolentibus per seipsos, vt curent per alium satisfieri, consequentèr ab omni obligatione liberantur, totum alteri committendo, quia sic integrè implent quidquid ipsis à me qui eleemosynam dedi impositum fuit,

fuit, nequè aliquid ad Superiorem, seù Conuentum spectat, quòd ille alius aliàs reputatus fidelis, posteà fuerit infidelis non satisfaciendo. Cùm ergò Superior, & Conuentus dicto modo se gesserint in casu nostro, & sinè culpà, non est cur sint plectendi aliqua obligatione, & præsertim quia nequè iuxtà æquitatem est, vt de bonis Conuentus aliam eleemosynæ summam exbursent, sicuti nequè Caius supradictus, quæ omnia solo lumine naturali notissima sunt. Qualitèr autem dans eleemosynam Superiori, & Conuentui cum illis contrahat, vel non contrahat dicam *infrà*, *num.* 14. & addam *num.* 15. qualitèr ipsi recipientes illam acquirant, vel non acquirant dominium, vndè constabit cui si perit pereat iuxtà proloquium: *Res perit domino*. Etiam videantur *infrà*, *num.* 19.

9 Idem probatur ex sententia, quæ dicit, quòd si fur tradat alicui putato fideli, v. g. Confessario pecuniam furatam, vel æquiualentem summam, vt domino eam restituat, non tenetur ad iterùm restituendum aliam summam quamuis summa iàm data alteri perierat apud portatorem, siuè ab isto detineatur, siuè ab alio fure rapiatur antequàm ad domini manus perueniat. Ratio cur fur sic satisfaciat est, quia ille non tenetur personalitèr per seipsum restitutionem facere, sed sufficit si illam faciat per alium reputatum fidelem, tunc enim prudentèr se gerit faciendo quod potest, & debet, maximè nè se prodat, & de consensu domini censetur sic facere, vt dicam *numero sequenti*; ergò cùm sic debito suo satisfecerit, ad nullam aliam in dictis euentibus tenebitur restitutionem; & idem est à pari dicendum in nostro casu, in quo Superior, & Conuentus non tenentur per seipsos ratione materiæ, quam in alium possunt transferre.

10 Quòd autem in dicto casu furis rationabilitèr credatur dominum consentire, immò & ad præbendum talem consensum esse obligatum dicitur à Nostro Andrea à Matre Dei *in Cursu Salmaticens. Moral. tom. 3. tract. 13. de Restitut. cap. 1. punct. 9. num.* 187. & per consequens fur committens alteri reputato fideli rem, seù pecuniam, vel æqualem summam restituendam, cùm hoc faciat de consensu domini, deobligatus remanet ad aliud restituendum, quamuìs alter non fuerit fidelis in exequenda commissione; & iste modus restituendi est frequentissimus, & vsitatissimus videntibus, & consentientibus cunctis dominis. Ità Sot. *in 4. disp.* 15.

quæst.

quæst. 2. *art.* 4. Gabri. *ibid. quæst.* 2. *art.* 4. Cenedo *de Paupert. Religios. dub.* 34. *num.* 8. Ledesma *tom.* 2. *Summæ, tract.* 8. *cap.* 34. *num.* 8. & in hanc sententiam se multùm inclinare confitetur Palaus *in præsenti disp. punct.* 18. §. 9. *num.* 4. eamque probabilem esse dicunt Filliucius, Trullench, Lessius, Hurtado, & Diana *part.* 2. *tract.* 1. *res.* 2. & *part.* 7. *tract.* 10. *res.* 16. *in fine*, vbi etiam affert Fagundez *in Deca. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 4. Huic ergò sententiæ possunt tutà conscientià Superior, & Conuentus se conformare in casu nostro, in quo illi ex consensu nedùm tacitè, sed etiam non raro (proùt aliqui Religiosi fassi sunt) expresè habito à dantibus eleemosynam, vt istam vnà cum Missarum obligatione committerent cui voluerint, potuerunt sic committere reputato fideli, qui si de facto fuerit infidelis, nihilominùs Superior, & Conuentus remanent totalitèr deobligati, vndè nec per se, nec per alios tenentur supplere: Et ista paritas probat à fortiori prò casu nostro, cùm furis obligatio sit ex delicto, quod non est in Superiore, nec in eius Religiosis, quia expresè non fuerunt obligati vt per seipsos satisfacerent, & per reputatum fidelem curauerunt satisfieri. Quære omninò *infrà, num.* 12.

Prædicta confirmantur etiam à pari de mutuatario, qui pecuniæ sibi mutuatæ semper acquirit dominium, vt nemo negat, & tamen ab onere restitutionis remanet liber, si habens mutuantis consensum dandi, ac committendi illam, vel æquiualentem summam cuicunquè voluerit reputato fideli, vt iste eam illi prò restitutione portet, ipsum postea portatorem à mutuatario sic electum, non fidelitèr portasse, sed sibi retinuisse detegat, vel alitèr ad dominum restitutionem non peruenisse iuxtà dicta *suprà, num.* 9. Sic pariformitèr in casu nostro, nàm ex quò nec ex vi materiæ, nec ex pacto Superioris, nec Conuentus accipientes eleemosynam tenentur per seipsos, poterunt cum eadem, vel cum æquiualenti summa Missas committere alteri, & quidèm ex consensu saltèm tacito dantis eleemosynam, qui consensus semper habetur, quotiès expresè non fuit facta obligatio personalis, proùt cum Bonacina, & Tamburino notaui *suprà, num.* 8. consequentèr sic factà alteri commissione à Superiore, & Conuentu, isti ad nihil vltrà tenebuntur, quidquid posteà ille alter fecerit siuè fidelitèr, siuè infidelitèr.

11 Et quòd ad nihil teneantur in casu nostro Superior, ac Con-

Conuentus clarè docetur à Thoma Tamburino *in Decalog. lib.* 1. *de Conscientià, lit. L. verb. Legatum, num.* 5. *&* 6. vbi quærit quid sit dicendum, si Testator committat suo hæredi, vt v. g. ædificet domum prò pauperibus, & hæres non exequatur, sed id committat alijs, de quibus certus est posteà quòd nihil fecerint? Resoluit ipse hiscè verbis: *Quandoquidem executionem hæredi Testator commisit, ipse hæres exequi debet, secùs est obligandus, vel non obligandus iuxtà grauem, vel leuem culpam, qua alijs id commisit, quæ est doctrina communis in similibus commissionibus susceptis*. Non ergò à fortiori est obligandus ad aliquid, si commissionem in alios transtulit sinè culpa, proùt quandò commissionem fecit personæ non manifestè malæ, vt ait idem Tamburinus *ibid.* qui cùm etiam dicat, quòd *ista est doctrina communis in similibus commissionibus susceptis*, & vna ex istis sit ista suscepta à Superiore, & Conuentu in casu nostro, & alijs posteà commissa sinè culpà, immò ex consensu saltèm tacito dantis eleemosynam, vti totiès dictum est suprà, quem consensum non dicit Tamburinus habuisse à Testatore hæredem, dùm absolutè dicit: *ipse hæres exequi debet*, & tamen istum ad nihil obligat, si sinè culpa ædificium sibi commissum commisit alijs, quamuìs de his certitudinem posteà habeat nihil fecisse, consequentèr etiam à fortiori dicendum est in casu nostro de Superiore, & Conuentu ad nihil teneri, licèt post factam alijs commissionem, præsertìm ex consensu dantis eleemosynam, dicti alij nihil posteà impleuerint, sicque casus noster remanet in terminis resolutus à Tamburino per suam de hærede adductam paritatem, dicente ipso, quòd *ista est doctrina communis in similibus commissionibus susceptis*. Quid ad rem nostram clarius? Vlteriùs videantur quæ dicam *infrà, num.* 18. *vers. Reassumptis*.

12 Quia contrà præallegata *num.* 9. *&* 10. de Fure, & Mutuatario posset quis dicere, dari etiam opiniones contrarias; dico esse notandum illas non procedere, si res quæ est debita, siuè in genere (vt loquuntur Iuristæ) siuè in specie (vt Theologi asserunt) committatur non solùm alicui assignato à creditore, sed etiam si ab isto fuit concessum debitori, vt eligat portatorem quem voluerit, tunc debitor immunis erit à restitutione quamuìs res pereat iuxtà tradita *dicto num.* 9. dummodò sinè culpa debitor electionem fecerit personæ determinatæ reputatæ fideli, & hoc

non

non alia ratione, nisi quia supposita tali facultate expressa debitori concessa ad eligendum in communi, censetur creditor saltèm tacitè approbare etiam talem personam à debitore in particulari postea determinatam; sic consequentèr in nostro casu, quia ex vi materiæ, & non facta obligatione personali, vt supponitur, censetur concessa facultas Superiori, ac Conuentui à dante eleemosynam, vel satisfaciendi Missis per seipsos, vel in communi alterum eligendi, & sic electus posteà in particulari à Superiore, vel Conuentu reputatus fidelis, iste censetur approbatus, & electus ab eodem largitore eleemosynæ, qui hanc cum tali facultate dederat, vndè ex his sequitur prædicta non videri tantùm probabilia, sed videri certa, vt colligitur ex Nostro Andrea à Matre Dei *in Cursu Theolog. Moral. Salmanticens. tom. 3. tract. 13. de Restit. cap. 1. punct. 9. num.* 191. Ad hæc faciunt etiam quæ dicam *infrà, num.* 15.

13 Ad primam rationem in contrarium allatam *suprà, num. 3.* à pari de Capellano ex Tamburino, respondetur nihil probare contrà casum nostrum, in quo agitur de Superiore, & Conuentu non *personalitèr* à dante eleemosynam expressè obligatis per seipsos satisfacere, sicutì Capellanus, de quo loquitur *ibi* Tamburinus habet obligationem *personalem*, vt clarè constat ex traditis *suprà, num. 7.* & quidèm multò magis si eius Capellania sit authoritate Episcopi in perpetuam instituta, quia sic est Beneficium Ecclesiasticum, vt dicunt Glossa *in Clementi. 2. de Decim.* Fusc. *de Visit. lib. 2. cap. 11.* Selua *de Benef. part. 1. quæst. 5. num. 23.* & alij, ideòque ratione Beneficij tenetur personalitèr, nisi alitèr in Fundatione cautum sit, & hanc obligationem personalem cognoscentes communitèr Rectores alicuius Beneficij, & nullam dubitationem de illa habentes, benè verò dubitantes de obligatione non personali, properterà solùm de ista interrogauerunt Sacram Congregationem Concilij *supèr Decretis de Celebratione Missarum, num. Octauo* hiscè verbis: *An Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditυum Beneficij?* Sacra Congregatio respondit, *satìs esse, vt Rector Beneficij, qui potest Missam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in Fundatione Beneficij aliud cautum fuerit.*

Hinc habetur, quòd Rector Beneficij, cuiusmodi est Capellania

lania prædicta, non semper potest per alium celebrare, & ideò de illius Capellano personalitèr obligato constat loqui Tamburinum citatum *suprà, num. 3.* quamuis sit ei *permissum*, vt notaui *suprà, num. 7.* non autem *liberè concessum*, vt possit celebrare per alium, vndè si iste alius postea non satisfaciat, tenetur talis Capellanus per se, vel per alium supplere iuxtà solam permissionem ei factam, & propterea Tamburinus *ibi* dat exemplum de Pictore, à quo ego emerem picturam cum expressione *à se faciendam* personalitèr, adeoquè semper mihi obligato, etiamsi ipse daret meum pretium alteri pictori, vt iste picturam faceret, sed posteà nihil fecit, vel quia fugit, vel quia mortuus est &c. proùt etiam notaui *suprà, num. 7. vers. Et quòd*. Igitur ex dictis plenè restat responsum primæ rationi allatæ *suprà, num. 3.* nempè per illam nihil probari prò casu nostro, quia *ibi* Tamburinus loquitur clarè de Capellano personalitèr obligato, & casus noster est de Superiore, & Conuentu non personalitèr obligatis. Quære adhùc *infrà, num. 21.*

Nec desinam notare, quòd cùm redditus Capellaniæ regularitèr excedant eleemosynam communem singularum Missarum, iuxtà morem loci, consequentèr si Capellanus permissionem habens celebrandi per alium isti committat satisfacere data ei solùm congrua, & communi eleemosyna, proùt sufficere dictum est ex Sacrà Congregatione, & iste alius non satisfaciat, potest etiam dici quòd ex hoc capite Capellanus teneatur adhùc per se, vel per alium, nàm non dans eleemosynam ad rationem reddituum, excessus remanet penès ipsum, sicque in isto excessu habet eleemosynam adhùc apud se, quamuìs congruam iam dederit alteri, qui non satisfecit.

Hìc incidentèr posset inquiri quid sit dicendum, si Capellanus personalitèr obligatus committeret Missam alteri, qui verè satisfacit? Respondeo peccare grauitèr, vt dictum est *suprà, num. 8. vers. Hinc è contrà*, sed non teneri ad aliam satisfactionem, quia Sacrificium ex opere operato est æqualis valoris, tùm ab vno, tùm ab alio Sacerdote celebretur, vt dicam *infrà, num. 17.* omninò videndo. Similitèr posset dici de Pictore si mihi picturam daret æqualis perfectionis, & valoris tamquàm si manu propria illam fecisset; docetur enim a Doctoribus Moralistis, quòd si ego contraherem cum venditore vini, vt mihi vendat de vino puro,

& generoso à me iam gustato, sed ille habens vinum magis generosum, hoc miscens cum aqua reducit ad eamdem bonitatem, & generositatem, ac valorem alterius à me iam gustati, talis venditor dans hoc sic mixtum vinum, ad nihil teneretur. Sed hæc ad rem nostram solùm ex abundanti faciunt; & quod dixi de venditione vini docetur à Lessio *de iusti. lib. 2. cap. 21. dubit. 11. num. 83.*

Quid etiam sit dicendum de petente celebrari Missas potiùs ab vno Capellano, quàm ab alio, vel à Religiosis Reformatis potiùs quàm à non talibus, dicam etiam *infrà, num.* 17.

14 Ad secundam rationem contrà adductam *suprà, num. 4.* satìs responsum remanet per dicta *suprà, num.* 8. non enim verum est, dantem eleemosynam contrahere limitatè cum Superiore, ac Conuentu cui datur absquè expressa obligatione personali, & ideò manifestè patet, quòd cum Superiore, & Conuentu tractat disiunctiuè saltèm tacitè, vt dicam etiam *numero sequenti*, idèst vel cum Superiore, seù Conuentu, si tamen velint per se satisfacere, vel cum alio cui Superior, seù Conuentus nolentes per se, imposuerint satisfactionem, ac obligationem, & eleemosynam dederint, & sic qui primò dedit eleemosynam tunc est ipse qui contrahit cum alio, cui Superior, seù Conuentus committunt obligationem, & eleemosynam dant velutì per manus, & de mandato, ac ex *expressa*, vel *tacita* voluntate, & commissione eiusdem, à quo Superior, ac Conuentus acceperunt eleemosynam transferendam simùl cum obligatione; certum namquè est, quòd *taciti, & expressi est idem iudicium*, vt habetur *l. cùm quid, ff. si cert. petat.* & *l. si filiusfam. eod. tit.* & *l. vltim. ff. de legat.* & alibi frequentèr in Iure, & tenent Iuristæ *communitèr*. Et fortiùs suadetur, quia immò *taciti, & solùm coniecturati par est virtus cum expresso.* Card. Tusch. *lit. T. conclus. 7. num.* 13. & alij, & sic in casu nostro satìs clara adest coniectura saltèm tacita prò intento.

15 Ad tertiam rationem positam *suprà, num.* 5. dico, quòd Superior, ac Conuentus adimplent totum id ad quod tenentur, nàm dùm saltèm ex tacito consensu primi dantis dant alteri, talis pecunia moralitèr censetur dari ab ipso primo largitore eleemosynæ, ac proindè vt est sub illius dominio, non Superioris, nec Conuentus, qui potiùs nomine illius, quàm proprio tradunt eleemosy-

mosy-

mosynam, & resoluitur totalitèr contractus iam intèr ipsos initus, cùm fuerit sub tali conditione vel expressa, vel tacita, vt vel Superior, & Conuentus si velint, ac si possint Missas celebrare, retineant sibi, vel alitèr alteri committant eamdem, vel æqualem pecuniam, & hoc agitur ex saltèm tacito consensu primi largitoris; cùm alias non obligauerit personalitèr expresè Superiorem, nec Conuentum, qui nec obligantur ex vi materiæ vtporè transferibilis, vt dictum est; & sic dùm Superior, ac Conuentus tradunt alteri, cùm agant potiùs nomine primi dantis, quàm proprio, & primus dans teneatur quasi in persona alterius a Superiore, ac Conuentu subrogati acceptare suam pecuniam, sicutì creditor tenetur acceptare, & ratum habere quòd ei fiat restitutio per aliquem reputatum fidelem à debitore iuxtà supra allata præsertim *num*. 12. & consequentèr in vtroquè casu perire debet dicto primo danti eleemosynam, sicutì dictum est, quòd creditori perit pecunia si pereat, quia vtrobiquè currit ratio dominij; quarè hoc in casu nostro non est apud Superiorem, seù Conuentum, vt non benè supponitur esse *dicto num*. 5.

Exemplo res clarior fiet: Si Sacristæ Sacerdoti, v. g. Metropolitanæ Ecclesiæ ex officio Missas colligenti dentur pecuniæ prò eleemosyna, v. g. centum Missarum ad hoc vt tales Missæ quantociùs celebrentur, & ille eas recipiat, vel etiam eas immisceat cum proprijs pecunijs licèt sic fortasè illarum acquirens dominium iuxtà dicenda *infrà*, *num*. 19. si postea curaret, vt fuit ei saltem tacitè commissum talem celebrationem, seù satisfactionem fieri à varijs Sacerdotibus, quibus prò stipendio daret eleemosynam, vel ex pecunijs in specie receptis, seù indiuidualitèr habitis, vel ex proprio, seù appropriato per mixtionem peculio, quis diceret totum Sacristæ perire, atquè ad dandas alias eleemosynas obligari, si illi omnes Sacerdotes priùs ab ipso reputati fideles, postmodùm vt infideles non celebrasse reperirentur? Sanè nullus hoc diceret, cùm etiam lumine naturali constet ad nihil esse obligandum Sacristam prædictum, à quo exactè fuit impletum quod ipsi faciendum fuerat iniunctum.

Quòd si contrà quis diceret, non perire pecuniam primo datori, sed primo acceptatori, qui illius factus est dominus, vt expresè dicit Andreas à Matre Dei *in Cursu Salmanticens. Moral. tom. 4. tract. 15. de Statu Religioso, cap. 7. §. 7. num.* 138. his verbis

S 2 (lo-

(loquens de primo accipiente eleemosynam prò Missis) *Qui primò accipit stipendium* statim acquirit dominium illius sub obligatione dicendi Missam, quam potest per se, vel per alium implere; ergò cùm omnes concedant rem perire domino, consequentèr si stipendium à primo acceptum detur alteri, vt iste impleat obligationem, sed de facto non implet, sicque stipendium pereat, peribit ipsi primo accipienti, qui dùm accepit fuit statim factus dominus illius. Respondetur verum esse, quòd primus recipiens stipendium statim acquirit illius dominium, & ideò si istud pereat adhùc tamen existens in manibus dicti primi accipientis, seù apud istum, certè ipsi perit, quia sic est dominus illius: Cæterùm notandum est, quòd vt sit factus dominus, debet habuisse animum acquirendi tale dominium, vt dicam *infrà, num.* 19. Si verò dictus primus accipiens tradat alteri reputato fideli tale stipendium, tunc abdicat à se illius dominium, & moralitèr censetur priùs transferre illud in primum largitorem, isti quasi restituendo totum quod ab ipso accepit, & deindè nomine ipsius, & ex huius consensu saltèm tacito stipendium physicè tradit alteri, isti committendo tales Missas, & in istum transferendo omnem obligationem, quæ cùm non sit personalitèr expresè imposita primo accipienti, vt per se solum satisfaciat, sed per alium satisfacere possit, est obligatio præcisè realis, quæ sequitur rem, idèst acceptum stipendium, quod iam separatum à peculio primi accipientis, statim moralitèr restituitur, & acquiritur primo largitori, & moralitèr proptèr eumdem valorem, & cùm designata, ac destinata sit talis pecunia ad implendam mentem ipsius largitoris primi, censetur eadem numero prima pecunia, & ideò si pereat peribit primo largitori cùm iste fiat illius dominus in traditione facta alteri reputato fideli nomine ipsius, & in quem tenetur consentire, vt dictum est *suprà, num.* 10. *in princip.* & sanè ratio dominij sic est applicanda, etiam a pari de casu furis restituentis ablatam pecuniam per ministrum reputatum fidelem, vt patet ex traditis *eodem num.* 10. vndè si in casu furis non obstat licèt culpabilis, à fortiori non obstabit in casu nostro, in quo nulla interuenit culpa; & sic supposito quòd Superior, ac Conuentus non fuerunt obligati, vt personalitèr à seipsis Missæ celebrarentur, & consequentèr si illas committant alteri ex consensu, seù voluntate saltèm tacita primi dantis stipen-

pendium, tunc non se gerunt nisi tamquàm illius dispensatores, qui non acquisiuerunt dominium eleemosynæ, sed tale dominium, vel remanet absolutè moralitèr eiusdem primi datoris, vel saltèm ad ipsum moralitèr reuertitur factà tali separatione, & traditione nomine ipsius. Hoc expresse dicitur à Nostro Andrea a Matre Dei *in Cursu Salmant. Moral. tom. 4. tract. 15. de statu Religioso, cap. 7. punct. 5. §. 7. num. 136. in fine*, his verbis: *Qui Missas celebrandas accipiunt ob stipendium, non à seipsis, cùm vel non sint Sacerdotes, vel sint impediti, vel ex proprio statuto habeant vt non possint stipendia accipere prò Missis, omnes isti non acquirunt dominium illius eleemosynæ, sed sunt meri dispensatores, qui nomine dantis illam, eam distribuunt*. Horum verborum duæ particulæ: *Non à seipsis*, & *Vel sint impediti*, verificantur in casu nostro, tùm quia Superior, ac Conuentus non acceperunt stipendium, vt à seipsis fieret satisfactio, proùt non raro se explicuerunt cum dante eleemosynam, sicutì aliqui Religiosi fassi sunt, se illam sic accepisse; tùm quia particula, *sint impediti*, magnam dicit latitudinem, vndè ex pluribus causis poterant impedimentum habere, proptèr quod non à seipsis satisfactio fieret, nec sibi retinerent eleemosynam, sed alijs dispensarent eam ex volitione siuè expressa, siuè tacita illius, qui illam primus dedit, & sic facientes non se gerunt tamquàm eleemosynæ dominium habentes, *sed vt meri dispensatores, qui nomine dantis illam, eam distribuunt*, quod clariùs docere non potest hiscè verbis dictus Andreas à Matre Dei. Igitur dominus eleemosynæ in casu nostro, cùm dicatur à dicto Authore quòd sit ille, qui eam primus dedit, propterea si posteà illa pereat, eidem perit vtpotè vero, & soli domino. Hæc procedunt tàm de dicto Sacrista, quam de Superiore, ac Conuentu, quorum nullus cùm non fuerit personalitèr obligatus, consequentèr se solùm tacitè obligauerunt ad curandum vt nomine dicti domini, nempè illius qui primus dedit eleemosynam, Missæ per alios celebrentur, vndè cùm hoc curauerint impositâ alijs obligatione cum largitione eleemosynæ, ad nihil vlteriùs tenentur, quidquid posteà eueniat.

16 Ad quartam rationem datam *suprà, num. 6.* dicitur, nihil per eam probari, nisi quòd si Superior, seù Conuentus non dederunt alteri totam eleemosynam, quam acceperunt, tenentur supplere solùm ad rationem partis retentæ, quia per istam facti sunt ditiores.

17 Nec

17 Nec obstat, neque iuuat si adhuc in contrarium fortasse dicatur, Superiorem, ac Conuentum ad totum teneri quamuis alter, in quem fuit facta translatio satisfecerit cum celebratione Missarum, quae ex opere operato sunt eiusdem valoris à quocunque dicantur; tamen ex opere operantis maius emolumentum spirituale fortasse intendebatur à dante eleemosynam potiùs Religiosis Reformatis, quàm non talibus, vel Sacerdotibus saecularibus, vndè potuit damnum fuisse illatum ei, qui Missas petijt. Responsionem ad hoc dat Tamburinus *in Opusc. lib. 3. de Sacrif. Missae, cap. 4. §. 3. num. 3.* his verbis: *Respondeo. At deuotio fortasse fuit maior alterius, qui suppleuit, vndè potuit euenire maius emolumentum ei, qui Missam petijt. Adde dictum fuisse suprà, huiusmodi fructus spirituales, quamuis à petentibus Missas omninò volitos, non cadere tamen quoad restitutionis onus in considerationem.*

Ex hac Tamburini responsione constat non rectè argumentari prout quidam argumentabatur, quòd dans eleemosynam prò Missis potiùs Religiosis Reformatis, quàm alijs, intendit, & vult vt Missae ab alijs non dicantur, sed personalitèr ab illis. Verùm hoc non esse dicendum manifestè patet, tùm quia *expressè* non fuerunt obligati personalitèr, & tamen talis expressio est omninò necessaria ad obligandum personalitèr, vt totiès dictum est, praesertim *numero* 8. tùm quia ratio maioris deuotionis etiam omninò volitae à dante eleemosynam non inducit obligationem, prout ex mox dictis verbis Tamburini clarè, & expressè liquet.

Appendix.

18 Vidit suprascripta quidam (cuius erant rationes in contrarium allatae *suprà, num. 3. 4. 5. & 6.* sed iàm in praedictis à me impugnatae, & resolutae, atquè ostensae nullius roboris) qui verbotenùs dixit mihi, se non percipere quomodò Superior, ac Conuentus accipientes eleemosynam non sint facti domini illius, ità quòd vtcunquè pereat non pereat ipsis. Respondi illi me hoc latè declarasse *suprà, num.* 15. ex doctrinà expressa Nostri Andreae à Matre Dei hic iterùm non repetendà, sed *ibi* videndà. Nunc tantùm refero, quae dixi *suprà, num.* 11. ex Tamburino asserente, quòd si Testator relinquat haeredi pecuniam cum obligatione faciendi v. g. aedificium, acquirit talis paecuniae dominium si ipse

faciat,

faciat, sed si non faciat vt facere debet, at sinè culpâ dictam pecuniam, vel æqualem det alteri, vt iste exequatur, hæres dicitur transtulisse dominium pecuniæ, & obligationem in alterum, & se deobligasse ab executione, ideòque iste alter exequatur, vel non exequatur, hæres ad nihil est obligandus, vt dicit idem Author, qui tamen hoc certè non diceret, nec posset dicere, si hæres altero non satisfaciente adhùc esset dominus pecuniæ sibi datæ, quæ duorum dominorum separatìm simùl esse non potest. Talis omninò est casus noster; ergò &c.

Reassumptis à prædicto sequentibus dixit: Diuersitas est intèr hæredem, & Superiorem, ac Conuentum, quia hæres operatus est per commissionem sibi impositam à Testatore; verùm dans eleemosynam Superiori, ac Conuentui, non facit commissionem, sed petit ab eis, quamuìs possint per alium satisfacere. Opposui sic instanti: Quid dices si Testator relinquat Conuentui facto suo hæredi pecunias prò Missis dicendis, & has Conuentus sinè culpa det alijs, qui posteà non exequuntur, nonnè Conuentus esset dicendus hæres de quo loquitur Tamburinus, & quem in dato casu omninò deobligat? Certè affirmare sic debes, nisi totalitèr tanti Authoris doctrina à te immeritò repudietur. Nunc quam diuersitatem cognoscis intèr dantem Conuenti tamquàm hæredi, & non tamquàm hæredi? Dixit; quia hæres Conuentus exequitur commissionem, Conuentus verò quandò non se habet vti hæres non habet hanc commissionem, sed ab eo petitur. Respondi: Nimìs clarè constat, non minùs esse dicendum de Testatore, quòd petat ab hærede executionem ædificij, ac sit dicendum de dante eleemosynam, quòd petat à Conuentu executionem Missarum; hæres enim perindè est quòd sit hæres, sed tantùm se habet vt persona præcisè, à qua Testator petit executionem ædificij prò ei relictâ, seù datâ pecuniâ; & sic cum omnimodâ paritate dans eleemosynam prò Missis Conuentui, ac Superiori, harum executionem petit, quæ petitio sinonimè & propriè dicitur commissio tùm in casu hæredis, tùm in casu Conuentus, ac Superioris quamuìs non hæredis. Igitur quemadmodùm Tamburinus citatus *suprà num.* 11. expresè ad nihil obligat hæredem omninò similem Superiori, ac Conuentui quoad impositionem, seù petitionem, atquè commissionem factam ipsis, & ab istis in alios translatam etiam posteà non satisfacientes, consequentèr

ex-

expresse in tali casu deobligato hærede ab eodem Tamburino, iste quoquè idem implicitè, immò velùt explicitè asserit de casu nostro, sicque Superior, nec Conuentus ad aliquid tenentur, quia hæredi applicata doctrina *est communis in similibus commissionibus susceptis*, quæ verba sunt eiusdem Authoris, vt notaui etiam *suprà*, *num.* 11.

Ad hæc nullum mihi dedit responsum, nisi quòd habeat Authores asserentes, eum qui recipit eleemosynam à primo dante prò Missis fieri illius dominum, vndè ipse obstans inferebat, quòd si illa pereat, perit eidem primo accipienti tamquàm domino. Respondi, quòd etiam ego non nego quin fiat dominus prò semper si tamen per se satisfaciat, & in hoc tantùm sensu tuos loqui Authores, si hos attentè legas, intelliges. Difficultas autem in nostro casu procedit, an etiam sit dicendus dominus post factam translationem, vti potest facere in alterum, ad quam difficultatem nullos affers Authores, qui affirmatiuè respondeant, sicutì prò negatiua ego retuli aliquos, quorum doctrinam, nè hìc sim prolixus eam repetendo, videre tu potes *suprà*, *num.* 15. *per tot.* & etiam *sub præsenti numero* 18. *in initio*, & similitèr dicenda *numero sequenti*.

19 Prò confirmatione, ac pleniori prædictorum declaratione est valdè notandum quod docet etiam cum alijs Tamburinus *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 4. *num.* 15. *& seqq.* nempè quòd ad acquirendum dominium requiritur in accipiente voluntas acquirendi illud, & proindè si misceas notabilem pecuniam alterius cum alia tua notabili cum animo expresso non acquirendi dominium talis pecuniæ, totus cumulus, licèt non possit fieri discretio tuæ, vel alterius pecuniæ, remanet sub dominio vtriusquè, & dandum erit ex eo cumulo singulis, quantum prò rata eis conuenit, & consequentèr si periret vel in totum, vel in partem, periret talis cumulus proportione seruata tibi, & alteri, cùm sit sub singulorum dominio.

Hinc applicando casui nostro prædictam doctrinam, cùm aliàs (vt statìm dicam numero sequenti) censeatur vnumquemquè intendere se obligare minùs quam fieri potest, nullus qui recipit eleemosynam Missarum manualium censetur habere animum acquirendi dominium talium pecuniarum etiamsi eas misceat cum proprijs, nisi adsit aliqua specialis conuentio, & obligatio,

sed

sed potiùs censendus est habere animum expressum non acquirendi dominium talis cumuli; & ratio est quia cùm nec ex vi materiæ, nec ex facto proprio teneatur satisfacere personalitèr, vt supponitur; talis recipiens Missas manuales intendit tantùm contrahere omni meliori modo sibi minùs oneroso, sed magis sibi fauorabili, idèst vel ad satisfaciendum per se, acquirendo sibi dominium totale talis pecuniæ, & cumuli, vel ad satisfaciendum per alium, relinquendo dominium saltèm partiale talis cumuli primo largitori, ità vt etiam isti perire possit proportione seruata, si nulla recipientis adsit culpa, vt ex æquitate pœnam non subeat ex proprijs sinè aliqua culpa: Dicendum est ergò quòd recipiens, etiam facta mixtione non potest censeri habuisse animum acquirendi dominium talis cumuli, itaùt sibi totus pereat, sed potiùs oppositum, scilicèt quòd etiam largitori perire possit; & sic à primo ad vltimum patet, quòd non remanet obligatus talis recipiens eleemosynas manuales, nisi *realitèr, & ratione rei acceptæ*, quam posteà dando alteri reputato fideli nomine, & ex consensu saltèm tacito primi largitoris, in alterum transfert totalem obligationem, nec ipsi, sed largitori, si pereat pecunia perire debet, quia sub largitoris dominio formalitèr remanet adhùc vt permixta, & quandò ex tali cumulo separatur æquiualens summa ad dandum alteri reputato fideli, moralitèr censetur dari eadem largitoris prima pecunia sub ipsius dominio, & ideò si perit, largitori primo vti domino perire debet, aliàs teneretur iterùm ex proprijs soluere Superior, vel Conuentus, vel prædictus Sacrista, quod cùm sit contrà æquitatem, ad hoc nullus censetur se habere animum obligandi, nec consequentèr acquirendi dominium talis pecuniæ; sed præcisè retinendi illam nomine primi dantis, si ipse recipiens nolit per se satisfacere, & cum obligatione dandi alteri æquiualentem summam, quæ si pereat, pereat eidem primo danti, non ipsis, & non alitèr, ità vt nunquàm sinè culpa, nec Superior, nec Conuentus, nec Sacrista teneantur ex proprijs iterùm soluere; & hæc omnia habentur ex Tamburino, & alijs *loc. cit.* & sic non vrget instantia allata *suprà, sub num.* 5. ratione dominij, quod cùm ex dictis manifestè constet remanere apud primum largitorem, sic verè isti peribit pecunia, ac eleemosyna, non verò Superiori, vel Conuentui, vel Sacristæ.

T Sanè

Sanè attentà solùm ordinarià eleemosynà, & alijs circumstantijs materiæ, & facti, non videtur esse alitèr sentiendum; & sicutì primus largitor facilè ipsemet dedisset talem eleemosynam alicui reputato fideli, si illi fuisset obuius, quia, vt supponitur, nullius personæ quærebat industriam, & tamen satisfecisset obligationi susceptæ, si illam habuisset prò Missis sibi, v.g. à Testatore commissis, vt *suprà*, *num.* 11. dixit Tamburinus, absquè eò quòd teneretur denuò soluere, quamuis fortasè habuerit pinguissimam hæreditatem, & hoc quia ex parte ipsius nulla fuit culpa. Cur ergò etiam eodem modo non est dicendum, quòd satisfecerit, si dederit per manus Superioris, vel Conuentus, vel Sacristæ alteri reputato fideli? Cur non satisfecerit etiam Superior, vel Conuentus, vel dictus Sacrista etiam propriæ obligationi, cùm totum peractum sit sinè culpa? Et hoc maximè quia isti vel subrogantur nomine hæredis principalitèr obligati, si primus largitor fuisset vti hæres obligatus, & secundùm Iura subrogatio consistit in hoc, quòd aliquis committit alteri vices suas, *cap. Per Venerabilem*, vbi Gloss. & Panormit. *de offic. deleg.* Innocent. *in cap. supèr quæstion. eod. tit.* & Lanfr. *decis.* 512. *sent.6.* & subrogatus sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur, & hoc tàm respectu personæ, quàm rei, & temporis. Naldus *in Sum. verb. Subrogatum*, *num.* 2. vel semper datur eleemosyna alicui reputato fideli, nomine, & ex consensu saltèm tacito primi largitoris, qui sicutì si per seipsum daret ad nihil teneretur, sic etiam dando per manus Superioris, vel Conuentus, vel Sacristæ, quia qui per alium facit, per seipsum facere dicitur, *cap. qui alium*, *ff. de regul. iuris*, *in 6.* Nulla ergò remanet obligatio in casu nostro apud quemlibèt ex dictis, sed totum remittitur conscientiæ ministri infidelis, licèt priùs reputati fidelis.

20 Tandèm ex tot præallegatis concluditur deobligatus Superior, ac Conuentus in casu nostro, itaùt nihil supplere teneantur prò infidelitate detecta in delinquente ab ipsis electo, quia fidelem reputabant illum. Et prò hac conclusione facit etiam textus *cap. ex parte*, *de censibus*, ex quo habetur obligationem non esse alicui imponendam, nisi de illa clarè constet, proùt clarè non constat in casu nostro præsenti; creatura enim cùm sit libera, odiosum est illi si adstringatur, & obligetur ad aliquod determinatum non clarum, adeoquè debet fieri restrictio,

non

non verò ampliatio, *cap. ad nostram* 21. *de iureiurando*, & *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & hoc est commune intèr Doctores, quorum decem nominat Noster Andreas à Matre Dei *in Cursu Theol. Moral. Salmant. tom.* 3. *tract.* 17. *de voto, & iuramento, cap.* 1. *punct.* 6. §. 1. *num.* 134. Restat ergò in Superiore, & Conuentu sola obligatio supplendi prò parte eleemosynæ, quam fortasse retinuerunt, quia clarum est fuisse solùm per istam factos ditiores, vt dictum est *suprà, num.* 16. vel saltèm dandi æquiualentem summam eiusdem partis retentæ, alteri reputato fideli, in istum transferendo obligationem solam prò dicto supplemento, quam translationem facere possunt, tùm ex vi materiæ transferibilis, tùm ex totiès dicto saltèm tacito consensu primi dantis eleemosynam, cum quo nullam personalem obligationem expresse contraxerunt, vt per seipsos satisfacerent, qua expressà obligatione non factà, consequentèr dictus primus largitor libertatem tacitam reliquit eis, quibus eleemosynam dedit, vt possent nomine suo istam cum obligatione in alium reputatum fidelem transferre, proùt latè per hactenùs tradita probatum est.

In nostro ergò casu cùm ex parte primi largitoris nulla sit expresse electa industria personæ, nec ex vi materiæ, nec ex vi pacti Superior, vel Conuentus seipsos ad celebrandum personalitèr obligauerint, totalis obligatio debet restringi ad terminos præcisè obligationis realis, quæ est minor obligatio admittens translationem, & sic non censentur obligati determinatè, sed conditionatè, idèst si potero, & mihi commodum erit ad celebrandum, accepto prò me tale stipendium, alitèr illud idem, vel æquiualens stipendium alteri reputato fideli dabo nomine tuo, vt mentem tuam adimpleat, & sic tacitè censentur conuenire, & non alitèr. Sanè non apparet quomodò iste modus contrahendi non conueniat, atquè iuxtà dicta talis non sit rationabilis mens primi largitoris eleemosynæ, & primi receptoris eiusdem eleemosynæ.

21 Prædictis *suprà, num.* 13. *vers. Hinc habetur*, addo prò maiori solutione, quòd Capellanus ratione Tituli, quo potest Ordinari, & contrahit cum Fundatore in Capellaniæ collatione mediante solemni stipulatione, licèt non obligetur personalitèr ad Missas iniunctas celebrandas, semper tamen videtur inuolui aliqua personalis obligatio, saltèm in defectum substituti, cùm

talis Titulus semper afficiat personam, & intèr alia reddat habilem ad Ordines, & possit ratione Tituli retinere sibi ipse Capellanus excessum eleemosynæ, proùt ex Sacra Congregatione Concilij dixi *suprà, dicto num.* 13. vndè exemplum Capellani à Tamburino allatum nihil probat prò casu nostro, qui est de nullo modo obligatis personalitèr; verùm Titulus Capellaniæ semper importat aliquam obligationem personalem, sicutì etiam (vt id obitèr dicam) in Missis perpetuis ratione talis contractus, in quo solet interponi solemnis stipulatio, & etiam assignari pinguior eleemosyna, secùs in Missis manualibus occurrit, vt patet, & nimis exorbitat à ratione æqualem in vtroquè casu ponere obligationem, vt benè consideranti constabit, cùm tanta intersit disparitas.

INTERROGATIO XX.

An scriptura sinè testibus facta à testatore cum eius subscriptione non completa, censenda sit valida in vtroque forò?

IN Ciuitate Fori Liuij Nicolaus de Franciscis, qui tres habebat filios masculos, quorum natu maior primogenitura per testamentum decoratus à patre cùm fuisset, morti posteà proximus idem pater, vocari fecit ad se Notarium, cui imposuit, vt nullo teste præsente scripturam faceret, in qua exprimeret, quòd singulis suis filijs æquales portiones de sua hæreditate paternà relinquebat. Factà per Notarium huiusmodi priuatà scripturà, volens ipse pater eam proprià manu subscribere, tantùm scripsit sic: *Nicolò Franc.* dicens, se non posse ob manus debilitatem vlteriùs scribere, asserens tamen se sequenti die fore completuram iàm inceptam suam subscriptionem; & ideò sequenti die accessit spontè dictus Notarius ad præfatum Nicolaum, petens ab isto an vellet vt testes vocarentur, qui eum viderent subscriptionem perficere, sed noluit vtpotè adhùc scribere non valens proptèr manus imbecillitatem, sicque decessit. Post huius obitum insurrexit intèr duos fratres minores, & maiorem contentiosa prætensio, volentibus minoribus, quòd contrà primum eorum patris testamentum, sola eiusdem scriptura dicta esset sustinenda, atquè

effec-

effectuanda. Huius dissensionis resolutionem quæsiuit Frater maior ab Aduocato, à quo nullum aliud responsum habuit, nisi quòd sistendo in Iure prò foro externo, poterit ipse suam opinionem dicere; cæterùm prò foro animæ res erat decidenda per Theologos, adeoquè prædictus Frater maior dubium hoc proposuit cuidam Patri Congregationis Sancti Philippi Nerij in præfata Ciuitate, in qua antequàm mea Religio esset ibi fundata, contigit me per integram Quadragesimam in illius Cathedrali Concionatorem esse, sicque de præsenti casu ab eodem dictæ Congregationis Patre, quid saltèm prò conscientiæ foro sentirem fui interrogatus?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Meritò de isto facto quid sit resoluendum potest dubitari tùm prò foro fori, tùm prò foro poli. Et quidèm scio in hac Ciuitate minimè de præsenti deesse, qui doctissimè casum valeant resoluere, sicutì nec aliàs defuere, qui patriam hanc suam pluribus voluminibus vtriusquè Iuris toti Orbi illustrem reddidere. Nihilominùs vt minùs sciens, interrogationi respondeo.

Iura aliqua, quæ validitatem scripturæ cum vi testamenti firment proùt in casu, dico non dari, sed potiùs communitèr loqui prò inualiditate quoad forum fori; nàm in materia vltimarum voluntatum debemus habere claram, & integram scripturam, per quam dubitare minimè possimus de mente disponentis. Cùm ergò in casu nostro habeamus primum testamentum patris factum per rogatum Notarium coràm requisitis testibus, seruatisque in eo cæteris solemnitatibus à Iure volitis clarè, & expresè, & de illius cessatione siuè ex toto, siuè ex parte iuridicè non constet, stante quòd scriptura post testamentum facta integram subscriptionem ipsius patris, non habebat, nequè illam complere voluit, immò nequè testes vocari proùt vocandi fuissent, consequentèr fundamentum reliquit iudicandi pænituisse de dispositis in dicta scriptura, de qua monitus à Notario fueras esse nullius roboris, deficiente in illa ipsius integrà subscriptione, testiumque præsentia. Sic defuncto patre, concludendum est nil aliud dispositum ab eo fuisse, nisi quidquid per testamentum ipsius habemus, nulla habita consideratione de prædicta scriptura, in qua substantialia

Iuris

Iuris deficiunt; & ità censeo esse resoluendum casum nostrum pro foro externo, proùt in alia mea responsione latè scripta probabo.

2 Supposita posteà declaratione mentis dicti patris expressè facta Notario, cuius manu scripturam facere rogauit, sequitur dubitandum, an in foro conscientiæ valeat, sitque sustinenda dicta scriptura? Respondeo posse saltèm fortasse probabilitèr sustineri prò foro animæ, proùt ostendam, & probabo in scriptura, quam posteà dabo.

Responsio latè scripta.

3 Ad dubium præsens vt plenè respondeam procedere debeo cum distinctione duplicis fori, scilicèt examinando illud, tùm prò foro externo, tùm prò interno. Currit autem dubitatio in præsenti non de testamento patris, quod cum requisitis à Iure supponitur ritè, & rectè factum, sed tantùm dubitatur de scripturà manu Notarij factà de mandato eiusdem patris, in qua alitèr disponit ac in vltimo suo testamento disposuerat, sed dicta scriptura non erat subscripta ab ipso patre nisi incompleto eius nomine sic: *Nicolò Franc.* cùm debuisset completè scribere: *Nicolò Franceschi*.

4 Dico, quòd licèt scriptura sit facta per manum Notarij non probat, si non habeat solemnia Iuris. Bald. *conf.* 432. *lib.* 3. & *in l. scriptura, C. de fid. instrum.* Et vbi scripturæ solemnitas requiritur à Iure, si illa fuerit omissa, non subsistit talis scriptura, vt liquet per *l. Contractus* 16. *C. de fid. instrum.* & tradit Nald. *in Summa, verb. Scriptura, num.* 16.

5 Cùm ergò in casu nostro scriptura facta per manum Notarij non tamen subscripti tamquàm rogati, propterea non dicatur publica, sed priuata, vt firmat Angel. *conf.* 220. priuata autem scriptura non admittitur in concursu cum instrumento, seù testamento, nisi sit subscripta saltèm trino teste, iuxtà *l. scripturas, C. qui pot. in pignor. hab.* quia supponitur facta in fraudem; indè constat, scripturam casus nostri carere solemnijs Iuris, adeoquè & probatione.


6 Et quia scriptura præfata continet rationem testamenti, ideò per subscriptionem breuiatam sic: *Nicolò Franc.* redditur insub-

insubsistens, habetur enim in Iure, & à Iuristis, quòd nec Breuiaturâ, nec notæ sunt admittendæ in testamento, sed integris litteris debet scribi, *l. sed cùm, 6. in fin. ff. de bon. poss.* Cuiac. *lib. 3. obs. cap. 3.* Ferdin. Vasq. *tract. de success. lib. 1. de success. progressu, §. 20. num. 8.* referens plures textus, & Doctorum authoritates prò hac sententia, quam prò foro fori esse prorsùs tenendam censeo, prò qua stat etiam Ancharan. *cons. 144. num. 3. & 4.* quatenùs asserit, quòd in vltima voluntate potiùs attenditur effectus iuris, quam mens testatoris.

7 Cæterùm loquendo de casu isto quoad forum poli assero, quòd si constet verè animum, seù mentem patris fuisse, scripturam prædictam validare contrà dispositionem per testamentum in isto factam, mens eius esset adimplenda, tùm quia mens tamquàm Regina primum locum obtinet, *l. in conditionalibus, ff. de conditionib. & demonstration.* Flor. *cons. 14. num. 7.* Tùm quia prò seruanda mente, & voluntate testatoris, receditur etiam à verbis. Mantica *de coniectur. vltim. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 9.* & Roland. à Vall. *cons. 35. num. 3. lib. 3.* & alibi sæpè in Iure.

8 Nec puto posse opponi, prædictum patrem noluisse integram subscriptionem manu sua scribere, tàm hodiè, quàm nec cras, quia pœnituit nouam dispositionem facere; etenim respondeo non esse præsumendum huiusmodi mendacium, ac fictionem in constituto in articulo mortis, reputato salutis æternæ suæ vndequaquè sollicito etiam in leuibus, præsertim quia nemo in dubio præsumitur malus. Barbos. *Axiom. 37. num. 4.* cum innumeris; & quòd dicat se non posse facere ob manus imbecillitatem, cùm prò veritate possit, at nolit ob voluntatis defectum, non est in tali circumstantia credendum.

Et si videatur quòd dicti patris mens dubitationem admittat, nihilominùs est intelligenda vt sit rationabilis, proùt consuluit Bald. *cons. 115. lib. 1.* at talis non esset in moribundo contrà suam mentem loquente, hoc est mendacitèr.



IN-

INTERROGATIO XXI.

An pretium rei venditæ, sed nondùm traditæ emptori à venditore, apud quem eodem die fuit furata, sit restituendum?

IN naui Tabellarij Ciuitatis Bononiæ Venetias ibam cum pluribus tùm Ecclesiasticis, tùm Sæcularibus. Inter Ecclesiasticos erat vnus Parochus, & inter sæculares erant duò Doctores Iuristæ, quibus Parochus dixit. Excellentissimi Domini vos rogo, vt me doceatis quid sit resoluendum in isto casu. Caius emit equum soluto statim illius pretio venditori, quem rogauit vt illum in suo stabulo vsquè ad sequentem diem custodiret. Manè facto accessit emptor ad venditorem, vt equum reciperet, sed responsum à venditore tantumodò accepit fuisse equum furatum, fracto stabulo per fures. Nunc quæritur, an emptor possit restitutionem soluti pretij exigere, & an venditor illud reddere teneatur? Hìc vnus ex dictis Doctoribus respondit Parocho: Admodùm Reuerende Domine, cur nos interrogas? Interroga illum Patrem Cassianum Carmelitam Discalceatum, quem nobiscum habemus, & nouimus aptum resolutionem dubiorum dare. Hoc à me audito dixi: Ego non sum Doctor sicuti vos; nihilominùs si mihi fieret interrogatio de præsenti quæsito, responderem.

Responsio oretenùs data cursim.

1 Supposito quòd Caius emptor equi hunc reliquit in stabulo venditoris, vt illum custodiret vsquè ad sequentem diem, talis equs, cuius pretium iàm soluerat emptor, factus est proprius eiusdem emptoris, qui propterea sub ratione depositi illum reliquerat in stabulo venditoris custodiendum vsquè ad diem subsequentem. Igitur hùc intrat dubitatio: An in damnum deponentis, vel depositarij depositum pereat? Responsio exigit distinctionem, nàm depositum potest perijsse ex dolo, vel ex culpa lata, seù leui, aut leuissima ipsius depositarij. In casu autem nostro, prout pro-

proponitur nulla apparet culpa depositarij, suposita illius custodia equi intrà stabulum benè obserratum, vndè illud frangere debuere latrones, vt indè equum extraherent. Hinc certum mihi est, depositarium in casu nostro ad pretij restitutionem minimè teneri; nequè releuat furtum euenisse in domo, siuè stabulo venditoris, quia verè erat equus factus proprius emptoris, à quo pretium fuerat integrè exbursatum. Ista sufficiant prò responsione verbotenùs breuitèr data, fusiùs tamen per scripturam adhùc declaranda.

Responsio latè scripta.

2 Pereunte deposito apud depositarium, si quæratur an damnum sit deponentis, dicendum est negatiuè, si depositarius fuerit in culpa, vt depositum perierit. Non tamen ex quacunquè culpa depositario damnum semper spectabit. Quapropter multiplex culpæ genus à Theologis,& Iuristis assignatur; & sic distinguunt culpam in Theologiam mortalem, idest latam, seù crassam, & in leuem, & leuissimam. Culpa *Theologica* iuridica, seù *lata*, ac *crassa* committitur quandò fit, aut omittitur id, quod vt plurimùm non fieret, vel non omitteretur in ea re à viris suæ professionis, vt v. g. si quis in loco publico relinqueret quamuis inaduertentèr rem apud se depositatam. Culpa *leuis* est, quandò fit, vel non fit id, quod non facerent, vel non omitterent viri suæ professionis diligentes, vt v.g. si depositarius relinquat depositum in cubiculo, negligens eius ostium claudere. *Leuissima* culpa est, quandò quis facit, vel omittit, quod non facerent, vel non omitterent viri diligentissimi, vt v.g. si quis quidèm cubiculi ostium clausit, tamen neglexit manu probare, an esset benè clausum.

3 Ex prædictis facilè est deducere resolutionem præsentis dubij, nàm si depositarius nullam ex prædictis culpis admisit, ex qua furtum depositi potuerit sequi, ad nihil tenetur, vndè emptor equi nequit à venditore pretij restitutionem exigere. Ità communitèr DD.

4 Vt autem enucleatiùs in materia depositi plura tradam, pono sequentia.

Primò; Quandò depositum factum fuit in gratiam solius deponen-

ponentis, tunc depositarius tenetur solùm de dolo, & lata culpa.

Secundò: Si depositarius prò depositi custodia accipit aliquid, pereunte deposito, tenetur de culpa etiam leui, non autem de leuissima; sed vide *infrà, vers. Quartò.*

Tertiò: Qui se obtulit in depositarium, tenetur de culpa etiam leuissima. Ratio est, quia depositum fuit factum in gratiam ipsius depositarij; & idem est si pactum fuit factum. Sic docent Reginald. *in Praxi tom. 2. lib. 25. cap. 46. sect. 1. num. 563. & seq.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. disp. 11. dub. 5. num.* 8. Molf. *in Sum. tom. 2. tract. 12. cap. 15. num. 44. & seq.* Azor. *Instit. Moral. part. 3. lib. 7. cap. 7. quæst. 1. & seq.* Sotus *de Iust. lib. 4. quæst. 7. art. 2.* Molin. *de Iusti. tom. 2. tract. 2. disp. 527. per tot.* & alij.

Quartò: Qui prò mercede aliquid recipit in depositum, in foro externo tenetur de omni culpa, etiam leuissima *ex l. & ità, at hoc, ff. naut. caupo.* & hoc nè ostium fraudibus pateret. Sic refert Diana *Coordin. tom. 6. tract. 3. res. 143.* vbi addit, se putare esse valdè notandum à Confessarijs, in foro conscientiæ teneri solùm de dolo, & leui culpa ratione contractus, vel quasi contractus, proùt docet Rebell. *part. 2. lib. 1. quæst. 10. num. 11.* Vide *suprà, vers. Secundò.*

Quintò: Si depositarius est dubius, quòd depositum sua culpa perierit, non tenetur restituere, quia cùm delictum non præsumatur, ipse est in possessione suæ innocentiæ. Sancius *in Select. disp. 43. num. 11.* Sanct. *de Matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 18.* & plures alij. Cæterùm in foro externo præsumeretur depositarius in dolo, si res ipsius appareant incolumes, vndè ad ipsum spectat onus probandi depositum casu perijsse, vel non potuisse simùl seruare depositum, & res suas licèt viliores. Mascard. *de probat. ver. Depositarius, concl. 509.* Tamen Naldus *in Sum. verb. Depositum, num. 3.* vult, quòd si depositarius nequeat proprias res, & depositatas seruare, si omnia sint æqualis pretij, potest priùs proprias in tuto ponere, si verò res depositæ sint maximi valoris, debet istas præponere.

Sextò: Si depositarius vtatur deposito, videtur furtum facere, dummodò nec expressam, nec tacitam à deponente habeat licentiam. Ità *ex Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur, §. furtum.* Verùm si depositum sit de rebus vsu consumptibilibus, vt sunt

vinum,

vinum, oleum, frumentum &c. dicit Diana *part. 4. tract. 4. res. 88.* se putare non esse condemnandum saltèm de mortali depositarium, qui similia consumeret, dummodò sciat se tantumdem eiusdem bonitatis posse restituere deponenti depositum possenti, nam huiusmodi consumptio damnum nemini affert.

5 Alia ad hanc materiam spectantia habentur *in mea Arbore omnium Opinionum Moral. tom. 2. lit. D. verb. Depositum, per tot.* Vide *ibi*.

6 Deniquè prò resolutione casus nostri refero decisionem Rotæ Ferrariensis apud Marcum Antonium de Amatis quæ est intèr cæteras 42. de quodam Textore draporum sericorum, qui certà conuentà mercede sericum ad texendum accepit, quod furto sibi subtractum fuit dùm in domo ipsius depositum erat, ideòque dicta Rota censuit ad damnum Textorem teneri, quia ex visitatione loci apertè constabat de negligentia ipsius Textoris, eo quòd antequàm ingrederetur ad locum vbi sericum claudebatur intrandum priùs erat per alia loca, quæ si diligentèr fuissent custodita, fures ingredi non potuissent, dùm Textor erat in platea ad inspiciendum quosdam ludos, proùt consuluit Laderch. Imol. *cons.* 154.

Ex præallegatis iudicet vir prudens prò casu nostro, an depositarius fuerit in culpa lata, vel non, ponderando circumstantias loci, custodiæ &c.

7 Placet hìc notare quid responderi potest interrogantibus: *Periculum rei venditæ ad quem spectet?* Dico, quòd quamuìs regularitèr periculum rei venditæ spectet ad emptorem, *l. qui officij, §. res in auersione, ff. de contrah. emption. l. 1. & ibi* Gloss. *ff. de pericul. & commo. rei venditæ*, vbi Bald. *num. 2.* Salicet. *in prima oppositione*. Castrens. *in principio*, etiam quòd res tradita non fuerit, vt in terminis probat textus *in §. cùm autem emptio, Instit. de emption. & vendition.* quandò venditio est perfecta, *l. 8. ff. de Pericul. & commo. rei vendit.* Id tamen non procedit, quandò venditor, qui antè traditam possessionem tenetur ad custodiam, & diligentiam, & si sequatur damnum etiam ex leuissima culpa ad illius emendationem, *l. Venditor hominis, ff. de action. empt.* quia ad maiorem rei venditæ custodiam arctatur, quàm propriæ, *l. Hoc ità verum, §. custodiam, ff. de pericul. & commo. rei venditæ*.

INTERROGATIO XXII.

Quid sit dicendum de vxorato, sed per falsos testes probato non nupto, & in Regularium Religione ad Professionem admisso, Sacrisque initiato, & ad Confessiones audiendas approbato?

DEgente me in meæ Religionis Bononiensi Collegio Epistolam acccepi mihi transmissam ex Niciensi Ciuitate ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Henrico Prouana eiusdem Ciuitatis Episcopo, à me semper reuerito condiscipulo meo tùm Bononiæ, tùm Romæ in Seminario Missionum Sanctæ Mariæ de Victoria. Præfatæ Epistolæ lator fuit Adm. Reuer. D. Benedictus Fantuccius Monasterij Lerinensis propè Niciam Monachus, & coràm isto secretè legi illam, in qua Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus à me quærebat, quid responderem interroganti; *Quid sit dicendum de vxorato per falsos testes probato non nupto, & vt tali facto Professo intèr quosdam Religiosos, & apud istos Sacris initiato, atquè ad audiendas Confessiones etiam Sæcularium exposito?*

Responsio oretenùs data cursim.

1 Latori dictæ epistolæ responsum aliud oretenùs non dedi, nisi quòd debente me post duos dies iter facere, & Taurinum pergere, ibique per aliquot dies moram facere, facilè erit responsionem meam in scriptis Niciam mittere, vtpotè à Taurinensi Ciuitate non multùm distantem.

Responsio latè scripta.

2 Casus mihi propositus indiget distinctis resolutionibus, quia plura continet dubia:

Primum dubium est circà falsos testes, & circà eum vxoratum, qui illos ad falsum testimonium faciendum induxit. Et quidèm certum est, grauitèr peccasse tùm testes, tùm eos inducentem ad pecca-

peccatum falsi, præsertìm si cum iuramento fuit firmatum scientèr; secùs si ignorantèr, nempè si putabant verè non esse matrimonio ligatum. Nauarr. *lib. 4. cons. 3. de diuort.* & alij.

3 *Secundum* dubium est circa ingressum vxorati in Religionem; & dico quòd quoad forum externum erat necessaria sententia diuortij, si ratione adulterij vxoris volebat maritus ab ea diuertere, idemque procedit prò facienda Professione, atquè prò suscipiendis Sacris Ordinibus; volunt tamen aliqui sufficere adulterium esse notorium. Sic notat ex Sanchez, & alijs Quintanadueñ. *in Singularib. tract. 9. singular. 13. num. 3.*

4 *Tertium* dubium est, an prò foro interno requiratur sententia diuortij in casu nostro; & dico quòd non, dummodò sit certus moralitèr fuisse ab vxore commissum adulterium, etiam occultum. Est tamen hoc limitandum, nisi aliundè proptèr scandalum, aut proptèr aliquod damnum, siuè iniuriam euenturam Religioni teneretur vir sententiam quærere diuortij antequam fieret Professus, seù Religiosus, aut Sacris initiatus, eò quia vxor foret repetitura virum ei restituendum licèt Professum, Sacrisque initiatum. Ratio est, quia diuino Iure adulterium est causa sufficiens diuortij, seù diuertendi a cohabitatione cum vxore, vt patet *ex Matth. cap. 5. & 19.* & traditur in Iure Canonico *cap. Dixit Dominus 32. quæst. 2.* Ità cum pluribus Sanch. *de Matrim. lib. 10. d. 10. num. 12. & 15.* nàm quamuis ius coniugale obstet tùm ingressui Religionis, tùm Ordinis susceptioni, tamen tali Iure omninò destituta est adultera.

5 *Quartum* dubium est: An valida fuerit Professio vxorati? Respondeo affirmatiuè, dummodò in illa Religione nullum sit statutum irritans talem Professionem. Immò dicta Professio valeret, quamuìs admittens ad illam non admitteret, si sciret esse vxoratum, & dummodò dùm admittit non habuerit istum actum: *Si iste est vxoratus, nolo ipsum admittere.* Ità docent Sanch. *loc. cit. num. 14.* Nauarr. *lib. 3. cons. 5. de conuers. coniug.* Nata *cons. 116. num. 11. & alij passim.* Est autem notandum, quòd voluntas conditionata admittentis non irritaret, hanc Professionem, nàm huiusmodi voluntas nihil aliud importat nisi quòd non admitteret si sciret, sicque est voluntas compatibilis cum voluntate absoluta admittendi. Dato etiam quòd in ea Religione detur statutum prohibens huiusmodi vxoratum admittere, si

ad-

admittatur ad Professionem, ista erit valida, quia multa prohibentur, fieri, sed facta tenent, proùt votum simplex castitatis prohibet matrimonium, quod si factum tenet. Sic tradit Quintan. *vbi suprà, num.* 5.

6 *Quintum* dubium est de susceptione Sacrorum Ordinem facta ab vxorato in casu nostro, an scilicèt excommunicationem contraxerit? Dicendum est negatiuè, quia in Iure nulla excommunicatio reperitur lata contra huiusmodi promotos, sicùt nec suspensio, nec irregularitas, nequè pœna aliqua Ecclesiastica. Idem *ibid. num.* 7. Limitandum est tamen hoc, nisi Pontificia authoritate in aliqua Religione detur aliqua censura contrà eos coniugatos quomodocunquè in ea profitentes. Censent tamen aliqui, quòd quia ista est materia odiosa non comprehendat fortassè vxoratum licitè diuertentem à coniuge.

7 *Sextum* dubium est, an vxoratus in casu nostro possit licitè se talem esse occultare, & nihilominùs Missas dicere, & Sacramentum Pænitentiæ ministrare? Certum est, posse omnia facere, quia muneris Ordinis est capax vxoratus, qui vel post diuortij sententiam, vel præhabita alterius coniugis licentia seruatis seruandis, idèst castitatis voto emisso à remanente in sæculo si sit senex, vel si sit iuuenis ingrediens in Religionem. Hinc vxoratus liber in conscientia a cohabitatione vxoris adulteræ, potest licitè statum mutare per Ordinis susceptionem, dummodò ambò coniuges adulterium non admiserint. DD. *communitèr*.

8 *Septimum* dubium est, an vir cognoscens se errasse, cùm reuerà eius coniux adulterium non commiserit, si ipsa petat vt secum cohabitet teneatur in conscientia redire, non obstante Professionis emissione, nec Ordinis Sacri susceptione? Respondeo teneri, cæterùm non posse petere debiti redditionem, sed solùm reddere, quia impeditur à petitione propter votum castitatis in Professione emissum, atquè in susceptione Ordinis sinè tamen præiudicio alterius coniugis habentis ius petendi. Si autem vxor iuridicè se probaret innocentem, tunc Ecclesia, & Religio tenerentur virum restituere, etiam si lata fuerit diuortij sententia. Ratio est, quia votum solummodò obligauit quantùm obligare potuit. Ità docent plures, quos refert, & sequitur Sanch. *de Matrim. lib.* 10, *disp.* 9. *num.* 9. Idem est quoquè

què asserendum, si votum esset tantùm simplex castitatis. Sotus, & alij cum Quintanadueñ. *loc. cit. singular.* 14. *num.* 3. Si posteà, vt dictum est, vir rediret ad cohabitandum cum vxore, non teneretur seruare leges Religionis, nequè posset celebrare, nec confessiones audire, quia ablata est ei iurisdictio per suspensionem, & ideò inualidè absolueret, quamuis validè, sed illicitè celebraret; at in mortis articulo si alius non inueniretur, tunc licitè, & validè absolueret. Idem *ibid. num.* 4.

9 *Octauum* dubium est, an maritus factus Professus, aut Sacris initiatus possit ad vxorem redire, si ei remittat adulterium? Resolutio est negatiua; nàm per traditionem sui ipsius Ecclesiæ per Ordinem, aut Religioni per Professionem, renunciauit iuri reuocandi vxorem, sicque renunciando iuri, hoc amisit. Filliucius *de Matrim. tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 382. Io. Triburgo *Sum. Confess. l.* 4. *cap.* 22. *quæst.* 14. Rosella *verb. Diuortium, num.* 14. & alij, qui asserunt licere adultero profiteri, si innocens professionem emisit.

10 Si non solùm vir, sed etiam vxor essent iam Professi, existimantes diuortium esse celebratum, neuter posset alterum ad cohabitandum repetere, quia vterquè sciens alterius ingressum, videtur facto ipso licentiam concessisse ad profitendum; secùs tamen esset, si ignorantia ingressus alterius adesset. Quintan. *d. singul.* 14. *num.* 5. cum Sanchez.



IN-

INTERROGATIO XXIII.

An vxor ob viri sui sauitiam possit propria authoritate mentito habitu ab illo se subtrahere, sublatis ei pluribus pecunijs tùm dotalibus, tùm non talibus, vt sibi inposterùm ad victum necessaria prouideat?

IN domo Sancta Lauretana accessit ad me quidam Clericali habitu indutus, rogans vt dignarer ipsum audire, præstita tamen priùs sibi secreti promissione. Hac habita dixit: Nonnè me noscis? Recordaturnè Paternitas Vestra quandò Mantuæ per Quadragesimam quotidiè concionabatur in Ecclesia Sancti Andreæ, qualitèr singulis diebus Veneris Martij Confessiones audiebat cuiusdam mulieris, eiusque filiæ? Ista ego sum sub hac mentita Clericorum veste, quia duos post annos à discessu P. Vestræ ex Mantua nupsi cum milite mecum posteà adeò crudeli, vt nedùm factis me verberans, verùm etiam verbis me infamans, mortemqne non raró mihi comminari non cessans, ac tamquàm adulteram me dicere publicè (falsò tamen) non erubescens, à tali viro me subtrahere cogitauerim, meamque intentionem alteri aperui mihi noto militi, qui cum sua vxore iturus erat Neapolim, ideoquè cum istis egi, vt me comitem haberent, in loco enim habitationis mariti mei nullatenùs commorari tuta valebam, nam mandauerat sicario vt me occideret, qui etiam iuratam promissionem fecit, se illi inferendi necem, si hanc mihi minimè dederit. Verùm à dicto sicario realitèr nolente exequi quod fictè afferebat se exequuturum admonita fui, vt me fugæ darem sub virili veste, quatenùs sic etiam ipse sicarius se excusaret de impossibilitate inueniendi interficiendam, quam se intellexisse perrexisse Geneuam affirmare volebat. De viuis me tollere maritus meus peroptabat, vt nuptias cum alia, sed sua concubina, contraheret. Igitur ex Mantua iter cepimus profecturi Neapolim, ast vt Veronam peruenimus, ibi in hospitio improuisa morte extinctus miles, vxorem suam, & me reliquit solas, quarè vidua cogitans Mantuam reuertere, ipsam enixè induxi, vt mecum Lauretum veniret meis sumptibus, siquidem

dem non paucos habebam nummos, annulos, & torquem auream, sicque ecce nunc sumus hic Laureti ista tamquam Amita, & ego tamquàm eius Nepos Clericus, sed quò nos vertamus nescientes, præsertìm ego, quæ me totam huic Beatissimæ Virgini commendaui, à qua fortasse gratiam accepi, quòd Paternitatem Vestram inuenerim, à qua dirigi, & edoceri possimus, quid agere satiùs erit nobis. Consilium ergò suum petimus, quod quæ sumus recipere, confidimusque non fore nobis à bonitate, & Charitate sua denegandum. Scire insupèr debet Paternitas Vestra, me orphanam esse tùm sinè patre, & sinè matre, immò & sinè noto aliquo, apud quem valeam diuertere. Quid Paternitati Vestræ videtur de meis incomparabilibus angustijs?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Quicunquè ad hanc Sanctam Laureti domum etiam è dissitis regionibus supplices accedunt, ab ista misericordiæ Matre miseriarum suarum copiosa recipiunt subleuamina. Sic huic Sanctissimæ Virgini vosmetipsas commendatæ, à qua, & quidquid à vestris angustijs liberari expediet consequemini. Quid autem ego vobis consilij proferam vix scio, nisi quòd ambæ Mantuam repedatis, & quidèm palàm tu orbata marito, occultè verò tu à marito discessa veste mentita semper retenta, ibiquè insimùl vitam ducatis, & interìm per aliquem fidelem amicum causam in iudicium deferte, vt iudicialitèr iustitiam reportetis. Dixi iustitiam reportetis, quia certum est fas esse vxori maritum relinquere, tùm ratione eius notabilis sæuitiæ, tum propter infamiam falsò illatam tamquàm adulteræ, tùm ob mandatum occisionis eiusdem, quæ nullam admisit culpam in assumptione virilis vestimenti quamuìs Clericorum; & hæc omnia, & singula sunt causæ diuortij, sicque Iura, & rationes stant prò vestra defensione. Restat modum scrutari, quomodò Iudex iuridicas habebit informationes ab actore, ideoquè dabo vobis scripturam Ecclesiastico Iudici mittendam; in qua contrà sæuum maritum dicenda exponam nomine tui eius vxoris; sic tu ad manus Iudicis illam peruenire curabis per confidentem amicum, qui secretè eidem notificabit, quis, vbi, & cuius nominis sit eandem mittens, & hanc scripturam mittam Mantuam per Postam cum super-

scriptione: *Ad manus N. & N.* intra præsentem mensem, ego verò nullam à vobis responsionem volo, nè deperdatur, in longo enim itinere sum constitutus.

Responsio latè scripta.

2 N. de N. coacta se occultare prò morte vitanda, ei etiam per mandatarium à sæuo eius marito procurata, quapropter præ timore nè agnoscatur sub mentito habitu Clericali semper incedit. Deniquè quò se vertere nesciens, vt & vitam non perdat, vtque continua mortis euadat pericula, consilium petijt à Confessario Veronæ, à quo nihil concludentèr accepit, nisi quòd in manus B. Virginis factum commendet. Me igitur inuento, mihi quis esset detexit, eique respondi, me putare aliud minimè subesse remedium, nisi casum Iudici confidentèr aperire, vt iudicialitèr, vel extraiudicialitèr ad ipsius libitum opportunum ponat remedium.

3 Si ego, qui hæc scribo Iudicis munere in exposito casu fungi deberem, totum in quatuor diuiderem membra.

Primum est, quid sit iudicandum de sæuitia viri in vxorem:

Secundum est, an falsa, seù vera criminatio de adulterio satis sit prò thori separatione.

Tertium est, cognitio mandati expediti prò de viuis tollendo altero ex coniugibus, quid operetur.

Quartum est, nùm mulieri licitum sit Clericalem habitum mentiri.

4 Igitur prudentia Iudicis hìc tota decurrat, vt postquàm à supradictæ scripturæ delatore, & ab huius depositione, ac informatione edoctus, seruatis seruandis operetur, necessario in inquisitione adhibito secreto, nè detecta vxoris occultatione per mariti indaginem interfici periclitetur. Hinc:

5 *Primum*, quod est de sæuitia viri ergà vxorem, commune iudicium est, esse illam probandam plenè, & concludentissimè prò thori separatione, quia agitur de materia graui, atquè ardua. Barbos. *in rubr. ff. solut. Matrim. part. 2. num. 27.* Natta *cons. 616. num. 1.* Buratt. *decis. 815. num. 1. & seq.* Rota *inter recent. decis. 441. num. 1. part. 1.* & *decis. 324. num. 2. part. 6.*

Tamen non sufficit probare qualemcunquè sæuitiam, sed talem

lem vt apta sit iustum, & in virum constantem metum cadentem inducere, vt probat text. *in cap. litteras, in fin.* Abb. *in cap. ex transmissa, num. 4. de rest. spol.* Sanchez *de Matrim. lib. 4. disp. 4. num. 2.* & *disp. 18. num. 10. lib. 10.* & Rota *d. decis. 324. num. 22. & seq. part. 6. recent.*

Probatur autem sæuitia nimia, si inter virum, & vxorem intercedat odium capitale, & sic probabilitèr ex tali odio tractatur de dicta sæuitia, & de vitæ salute, quo casu vxor à marito discessa non restituitur, *cap. ex transmissa, 8.* & *cap. litteras, 13. in fin.* & *ibi* Ancharan. & Abb. *sub num. 7. de restit. spoliator.* Gutier. *lib. 1. Canonic. quæst. 24. num. 2.* Farin. *quæst. 143. num. 145.* Aldobrand. *cons. 71. num. 15. vol. 1.* & alij. Immò si etiam cum marito reperitur, est ab illo separanda, *d. cap. litteras, 13. §. fin.* Sylu. *in Sum. verb. Matrimonium, §. 10. antè nu. 3.* Ricci. *decis. Neapolit. 8. num. 1. part. 2.* & Bursat. *cons. 333. num. 2. & 3.* vbi asserit hoc etiam procedere si solùm timeatur futura sæuitia mariti, quamuis nunquam sæuierit, & hoc vltimum tradit etiam Sanch. *de Matrim. lib. 10. tit. de diuortio, disp. 18. num. 19.* Farin. *quæst. 143. num. 140.* Gutier. *Canonic. qq. lib. 1. cap. 24. num. 9.* Tradunt etiam prædicti, esse faciendam thori separationem, idemque asserunt plures, quos allegat Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 32.* & *tit. 7. quæst. 16. num. 7.*

Separata vxor à marito ratione nimiæ sæuitiæ nequit cogi cum marito redire sub fide cautionis de non offendendo, quandò inter ipsos datur odium capitale, quod quandò detur dicam *numero sequenti*. Gloss. *in cap. de Benedicto, 5. in verbo, sub cautela, 32. quæst. 1.* Mandos. *cons. 46. nu. 1.* Marius Anton. *lib. 1. resol. 35. num. 7.* & Thomas Teruis. in terminis præcisis, *lib. 1. decis. 61.*

6 *Secundum* est, an accusatio de vero, vel falso adulterio vxoris facta per maritum, siuè etiam è contrà, sufficiat prò thori separatione, & dicendum est affirmatiuè cum Bursat. *cons. 333. per tot.* præsertìm *num. 2. 5. & 15.* Thom. Teruisan. *decis. 45. n. 9. 13. & 16.* & *decis. 61. per tot. lib. 1.* Rota *decis. 706. num. 3. part. 1. vltim.* Ratio est, quia quandò vnus ex coniugibus accusat alterum de crimine capitali, quale est adulterium, tunc inter eos dicitur oriri odium capitale, & locus est separationi thori, & maximè si accusatio fuerit iniustè facta criminalitèr.

Et hoc procedit etiam si odium prouenisset culpa vxoris, ac

hoc non contingit in proposito casu, proùt facilè probationes faciendæ demonstrabunt, & prò isto asserto stant Abbas *in cap. litteras, 13. num. 23. de restit. spoliat.* Neuizan. *in sua Sylua nupt. lib. 1. num. 39.* Ricci. *decis. 8. nu. 2. part. 2.* Sanch. *de Matrim. lib. 10. tit. de diuort. disp. 110. num. 5.* & plures alij.

Et quia in nostro casu mulier recessit à viro ex causa, propterea ei extrà domum debentur alimenta à viro proùt signantèr fuit traditum à Surdo *de aliment. tit. 1. quæst. 32. num. 4.* & *tit. 9. quæst. 31. num. 20.* secùs erit, si sinè causa vt fuit dictum *in Feretranæ Alimentorum* 18. *Iunij* 1633. *coràm Buccabello*, & *in eadem*, 1. *Iulij* 1639. *coràm Bichio*, & tradunt Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 4. quæst. 2. num. 20.* Maresc. *var. ref. lib. 2. cap. 83. num. 65.* Onus verò probandi causam incumbit vxori. Gratian. *discept. forens. 552. num. 47.* Iason *in l. diuortio, num. 25. ff. solut. Matrim.* & donèc causa probetur, recessus vxoris à domo viri propria authoritate, dicitur culposus Iuris præsumptione. Rota *in recent. decis. 517. num. 1. part. 3.*

Facta thori separatioue tenetur maritus restituere vxori suas dotes, nàm cùm illæ dentur prò oneribus matrimonij, *l. prò oneribus, 20. C. de iur. dot.* cessantibus talibus oneribus apud maritum, conuenit vt dos reuertatur ad domum vxoris cum ista. Mandos. *cons. 46. num. 5.* & præsertìm quandò culpâ mariti deuentum est ad thori separationem, quo casu dos semper restituitur. Surd. *de aliment. tit. 1. quæst. 32. num. 21.*

Quòd si ex suspicionibus fuisset inductus maritus ad accusandum vxorem de adulterio, illis purgatis ab illa, videtur eas nullatenùs suffragari, vt dos restitui a marito minimè debeat, vt notat Cyriacus *Controuers. Forens. tom. 1. lib. 1. controuers. 173. num. 11.* & *num. 12.* cum pluribus dicit, quòd maritus sit etiam condemnandus ad alimenta præterita, & ad expensas litis factas ab vxore, quia vtrumquè tenebatur subministrare lite pendente, tùm agente vxore ad thori separationem ob iustum timorem, tùm quandò accusatur de adulterio, vt in præsenti casu.

7 *Tertium* est, quid operetur cognitio dati mandati prò danda morte alteri coniugi? Et indubitata responsio omnium Doctorum est operari, vt det locum separationi thori, quia tale mandatum parit odium capitale. Sic tradit Francisc. Niger

Cy-

Cyriac. *d. Controuers.* 173. vbi plura dicit ad rem præsentem.

8 *Quartum* est, an liceat fæminæ mentiri habitum virilem, etiam Clericalem? Dico non esse peccatum si fiat ex iusta causa; si verò fiat ex leuitate erit peccatum veniale; si autem fiat ad malum finem, vel cum scandalo, erit mortale, si scandalum sit graue, finisque sit grauitèr malus. Ità Nauarr. *in Man. cap.* 23. *num.* 22. Allo. *verb. Habitus, num.* 2. Igitur fæminam vti veste virili non est de se peccatum, sed tantùm ex circumstantia, vel intentione. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 3. Hinc patet, quòd vxor in casu nostro nullum admisit peccatum vtens virili habitu, licèt Clericali ex vrgentissima necessitate se occultandi prò morte euitanda.

Circà sublationem pecuniarum, quas vxor accepit in domo mariti ad proprias rationabiles indigentias in fuga sua quid sit dicendum, constat ex traditis *suprà sub numero 6. vers. Et quia, & seqq.*

INTERROGATIO XXIV.

An sit iudicium temerarium, & murmuratio grauis affirmare furem de bonis pupilli istius Tutorem olìm pauperem, nunc diuitem?

PErueni Papiam concionaturus per integram Quadragesimam in Templo Sancti Michaelis, in quo pridiè quàm concionum cursum inciperem obuiauerunt mihi duò Reuerendi, Moralista vnus, Iurista alter inter se controuersiam habentes, an iudicium temerarium graue, mortalisue murmuratio sit, affirmare esse furem de bonis pupilli huius Tutorem communitèr scitum pauperem de præterito, duitem verò de præsenti. Vtrumquè affirmabat Moralista, sed prò negatiua stabat Iurista, quid verò dicerem ego me interrogauerunt, præsertìm an censeam posse Tutorem conueniri, vt reddat rationem suæ administrationis.

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Iudicium temerarium à murmuratione, vel detractione distinguitur, quatenùs si quis intra se finè sufficienti fundamento sentit, seù iudicat malum de alio, hoc erit temerè iudicare; si verò per verba externa alterius famam iniustè denigrat, sic erit murmuratio, vel detractio, quæ interdùm est simùl contumelia, nempè si fiat in præsentia, non in absentia. Igitur proposita quæstio de Tutore olìm inope, sed nunc in diuitijs existente ex quò pupilli bona administrat, an iudicari, & dici possit per furta de dictis bonis sibi multa cumulasse? Profero absolutè nec iudicari, nec affirmari posse attenta sola administratione bonorum pupilli non adminiculata aliquo alio modo ditescendi. Sic sit firma mea responsio, esse graue iudicium temerarium, quod si ad linguam deducitur euadet grauis murmuratio, si alio non constante, asseratur Tutorem pauperem, ideò factum diuitem, quia de bonis pupilli à se administratis sibi iniustè prouidit. Cæterùm cautè discurrendo in resolutione quæstionis præsentis, non nimis citò discursui intellectus habenas laxando in malum, in defensionem Tutoris rationes, & Iura possunt allegari.

Responsio latè scripta.

2 Quamuis Tutor antè tutelam esset pauper, non propterea potest meritò inculpari factus diues per vsurpationem bonorum sui pupilli, vndè id asserere, ac iudicare, murmuratio, & iudicium temerarium proculdubio esset; nisi ex alio capite sic posse interiùs, exteriùsque affirmari certò constaret. Etenim Tutor absolutè consideratus habet fundatam intentionem, quòd quilibet præsumitur acquirere de proprio, non autem de alieno, fierique diues proprio labore, suâque industriâ, non obstante quòd aliena negotia administrasset, & à fortiori si non administrasset. Ità probat text. vbi hoc notant omnes *in l. si defunctus*, 10. *C. arbitrium tutel.* vbi Tutor pauper ab initio, & posteà factus diues, præsumitur propriâ industriâ, & labore diues euasisse, non autem de bonis pupilli acquisiuisse, & sic docent Menoch. *de præsumptionib. lib. 6. præsumpt. 28. num. 2.* Mascard. *in verb. Negotia-*

gotiator, concluf. mihi 1094. *num.3.* Gutier. *de tutel. part.3. cap.46. per tot.* Borgn. *de tutor. ſub num.* 223. & alij.

3 Ampliatur hoc in adminiſtratore rerum Reipublicæ, ſeù Fiſci, nàm non præſumitur de eis factus diues, ſed de ſuo. Menoch. *loc. cit. num.* 10. Bart. *in l. defenſionis facultas*, 7. *circà fin.* Deci. *conſ. 6. num.* 1.

4 Immò generalitèr loquendo, nemo præſumitur ditatus de alieno. Sic tradunt Ancharan. *conſ.* 31. *num.*2. Menoch. *conſ.* 12. *n.* 20. Deci. *conſ.* 174. aliàs 175. Rota Bononienſis *deciſ. diuerſ.* 96. *num.* 29.

5 Addendum eſt etiam, quòd ſemper præſumendum eſt prò acquirente, vt de ſuo, non de alieno fuerit lucratus, ſi conſtet fuiſſe virum induſtrioſum, & qui negotiationibus operam dabat, vt probat text. *in l. Quintus Mutius*, 52. *ff. de donation. inter vir. & vxor.* ex quo textu optimè deducitur ad euitandam culpam malæ adminiſtrationis contrà Tutorem induſtrioſum, quemadmodùm vxor ad euitandam turpis lucri ſuſpicionem, præſumitur acquiſiuiſſe de bonis mariti, ſi fuit induſtrioſa, aut ſi appareat vndè aliundè habere potuerit, non præſumitur niſi de proprio lucra reportaſſe. Menoch. *de præſumptionib. lib.3. præſumpt.* 51. *num.* 32. Crauet. *conſ.* 61. *num.* 7. Gabr. *de præſumpt. concl.* 15. *num.* 12.

6 Quoad conueniendum Tutorem, vt rationem reddat adminiſtratæ tutelæ, id fieri non debet præcisè ob hoc quòd nunc ſit diues, quarè attendantur præſumptiones iuxtà prædicta contrà Moraliſtam fauorabilia Iuriſtæ.



IN-

INTERROGATIO XXV.

An Promissor probitatis serui teneatur ad damna, si ipse seruus furtum faciat domino.

EX Carinthia reuertebar Venetias intrà nauem, in qua erat Thomas Ferrariensis rediens ex Lubiana, vbi in famulum acceptauerat Andream Marmetem sibi datum ab Annibale Firminto, à quo promissionem habuerat probitatis eiusdem famuli. Exitus tamen oppositum probauit, quatenùs cum notabili damno domini sui dictus famulus furto ei facto aufugit. Contrà Firmintum agere iuridicè cogitabat Ferrariensis, vt reficeret damna sibi illata à seruo, prò cuius probitate se promissorem fecerat. Factum istud narrauit cunctis in naui audientibus ipse damnificatus, qui de dicti famuli iniquitate dubium nec minimum habuisset, & addidit fuisse a se quæsitum à quodam Iurisconsulto, necnon à quodam Regulari Religioso, an prò se staret Ius, & ratio, vt contrà præfatum promissorem posset se actorem iuridicè facere, eique affirmatiuè ab vtrisquè fuisse responsum. Nihilominùs placuit eidem Ferrariensi me interrogare, quid in hoc casu iudicarem?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Reuereor responsum quod audio datum in proposito facto, sed illi sic absolutè prolato non acquiesco. Procedatur igitur cum distinctione, examinando Promissoris assertum de probitate famuli consequentèr non furis; nam si verè quo tempore Promissor famulum dedit, erat, & semper fuerat probus, ad nihil tenebitur de furtis posteà sequutis, prò quibus non poterat promittere nisi imprudentèr non fuisse euentura. Si verò famulus de facto non erat probus, sed fur antè promissionem promittentis, iste tenebitur de furtis factis à dicto famulo. Sic sentio, & hanc meam sententiam cum alia responsione in scriptis probabo.

Res-

Responsio latè scripta.

2 Tamquàm certum præmitto, promissorem obligari, si promittat seruum esse fidelem, & non furem, si reuera sit fur, præsertim si aliquid dare promisit prò interesse, vt habetur *l. si itaquè, 31. ff. de euiction.* gloss. *in §. si quis alium in verbo* non obligabitur, *circà medium Instit. de inutilibus stipulation.* Alberic. *in l. si apud priorem, 3. C. de ædilit. action.*

Nihilominùs in casu nostro censeo ad aliquid non obligari Annibalem Firmintum Promissorem. Ratio clara est, nàm ipse non fecit promissionem Ferrariensi, quòd famulus furtum non esset admissurus, sed tantùm quòd erat vir probus tempore conductionis, seù quandò fuit exhibitus in seruum dicto Thomæ Ferrariensi. Igitur Firmintus non tenetur, si seruus fidelis de præterito, furtum faciat in futurum, vt est text. *in l. actionis, 54.* secundùm intellectum Nicolai de Matarellis communitèr approbatum, de quo per Cæpolam *ibi, num. 4.* & Albericum, & Fulgos. *ff. de ædilit. edict.* & hoc idem meliùs constat ex textu *in l. si apud priorem, 3.* vbi Cynus, Fulgos. & Salic. *C. eodem tit. de ædilit. action.*

3 Quandò autem promissor esset obligandus, penès actorem erit onus probandi, famulum fuisse furem in præteritum, sicque tempore promissionis non fuisset probus, vndè nihil iuuaret promissori, vt non deobligetur, licèt furtum famulus fecerit post promissionem suæ probitatis factam à promittente. Ità notant Odofred. *in d. l. apud priorem*, & Alberic. *ibi, in princip.*

4 Nec obstat dicere, dominum famuli habuisse intentionem prouidendi sibi seruum, à quo furtum nunquam esset passurus, adeoquè promissorem æquè teneri, tùm si antè promissionem fuisset fur ipse famulus, tùm si post. Respondeo enim non potuisse Annibalem Firmintum promittere Ferrariensi prò futuro, nisi temerè; immò satis operatus est promittendo prò præterito, quia quamuìs serui regularitèr præsumantur fures, vt ait Mantua *conf. 43. num. 59. vol. 1.* tamen qui habet securitatem, quòd aliquis fuerit, & sit de præterito bonus, potest præsumere, quòd etiam erit talis in posterùm; quemadmodùm enim semèl malus semper præsumitur malus, ita semèl bonus, erit

semper præsumendus bonus, præcipuè cùm regularitèr quilibèt præsumatur bonus, *cap. dudùm, 16. extrà de præsumpt.* & tradit Surdus *cons.* 131. *num.* 19.

5 Et dato casu, quòd Ferrariensis haberet aliam intentionem acceptandi in seruum Andream Marmetem cum securitate non fore furem, debuisset expresſè conuenire, at hoc factum non fuit, proùt patet ex lectione propositi contractus, atquè ideò contrà Ferrariensem pugnat *l. 2. C. de furtis* cum verbis Imperatorum, *disce cautius negotiari*. Vlteriùs addo, quòd quæuis promissio, præsertìm si resultet ex fideiussione est stricti iuris, ac proindè debet strictissimè interpretari, nec debet extendi vltrà quàm loquantur verba expressa promissionis, *l. blanditus*, 12. *C. de fideius.* Roland. *cons.* 58. *num.* 20. *vol.* 1. Decian. *cons.* 72. *n.* 18. *vol.* 2. Farinac. *cons.* 59. *num.* 13. ac tandem si Firmintus promisit prò futuro, esset arguendus de temeritate, & quadam fatuitate, vt *in d. l. apud priorem*, 3. *C. de ædilit. action.*

INTERROGATIO XXVI.

An valeant Sponsalia in gradu prohibito contracta sub conditione, si Papa dispensauerit; & dispensatione habita, an liceat vni sinè causâ, alio inuito resilire?

TEmpore Baccanaliorum perueni ex Venetijs ad Sanctum Ioannem de Duino ditionis Imperij propè Timaum flumen, de quo Virgilius Poeta scripsit: *septem ora Timaui*, quia ex septem oribus vnius veluti scholij erumpentes aquæ integrum, sed breuissimum canale efficiunt. Hìc coactus à nocte, hospitium quærere debui, quod apud Exactoris domum inueni. Audiebam ibi choreas fieri, mihique dixerunt esse prò sponsalibus inter duos consanguineos transuersales in secundo gradu cum Pontificis dispensatione, quam paucas post horas cum Postæ aduentu expectabant. Cubitum iui, & manè facto retulerunt mihi dispensationem venisse, sed chorearum lætitiam conuersam fuisse in mæstitiam à sponsa obstinatè persistente in recusatione sponsi, licèt inuiti. Obstupuit ad hæc tota vicinia, & à quodam Reuerendo ibi existente fui interrogatus, an valida fuerint

rint sponsalia conditionata, *si Papa dispensauerit*; & an vni ex illis altero inuito liceat resilire, ac pænitere, etiam sinè causa?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Supposita necessitate dispensationis, potest duplicitèr dubitari in casu nostro. *Primò*, an valeant sponsalia conditionata, *si Papa dispensauerit*. *Secundò*, an post dispensationem, vel etiam antè, cum spe tamen eam obtinendi, alter nequeat pænitere. Quoad *primum* ego semper veriorem censui sententiam affirmantem valere, & ità obligare, vt sinè iustâ causâ nulli liceat resilire dispensatione secutâ; cæterùm, quamuis non sint nulla talia sponsalia, tamen habitâ dispensatione volunt aliqui requiri nouum consensum, atquè ideò licitum erit vnicuiquè ex sponsis, tàm antè, quàm post dispensationem pænitere; & ità respondeo quoad *secundum*. Sed clariùs respondebo in scriptis à me dandis, & videndis.

Responsio latè scripta.

2 Valdè controuersa est inter Doctores, tùm Iuristas, tùm Moralistas quæstio, an duò consanguinei transuersales in secundo gradu, inter quos Papa dispensare solet cum difficultate, habitâ tamen causâ, possint antè dispensationem validè contrahere sponsalia cum conditione, *si Papa dispensauerit*, ità vt, vel post dispensationem, vel antè, existente tamen spe illam obtinendi, alter non possit recedere à matrimonij contractu. Quòd autem quæstio ista sit admodùm controuersa apud scribentes de hac materiâ, præcipuè apud Præpositum *in cap. supèr eo, num. 5. extrà de condition. apposit.* notatur à quodam incerto apud Nauarr. *cons. 5. lib. 4. tit. de consanguinit. & affin. nu. 7. & 9. tom. 2. fol. 67. in impressione Veneta, de anno* 1610. & *num. 2. 3. & 4.* videndi: Tamen prò veriori sententia concluditur, talia sponsalia valere, & obligare, talitèr quòd sinè causâ nemo ex sponsis possit resilire secutâ dispensatione.

Et ità tenendum esse, post longam disputationem resoluit Sanchez *de Matrimon. lib. 5. disp. 5. quæst. 1. per tot. præcipuè num. 12.*

Etiam Gutier. *lib.* 1. *Canonicar. quæstionum*, *cap.* 22. tenet non esse quidem nulla dicta sponsalia, sed tamen requiri nouum consensum post habitam dispensationem, atquè ideò liberum, & licitum esse vnicuiquè, tam antè, quàm post dispensationem pænitere, at hoc implicare contrarietatem profitetur Sanch. *loc. cit. num.* 13. vt patet, nàm si valent, ad quid nouus consensus?

3 Non desinam notare, quòd dispensatio prò contrahendo matrimonio in gradu prohibito debet impetrari expensis communibus tàm viri, quàm mulieris. Ratio est, quia hoc est negotium vtrisquè commune, estquè contractus gratiâ vtriusquè celebratus, actus autem respiciens commune bonum, seù commodum, expensis communibus debet expediri, *cap. statutum*, 11. *§. insupèr, de rescript. in 6.* & *l. 4. §. sed & si mensor, ff. finium regandor.* In casu autem nostro, vel simili, nulla de hoc erit difficultas, si nomine vtriusquè fiet supplicatio prò obtinenda dispensatione. Thom. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 36. *num.* 1.

INTERROGATIO XXVII.

An expolians mortuum inuentum in via habentem multas pecunias in crumena, possit illas sibi retinere?

Discessi Roma,& sero facto perueni ad Ciuitatem Castellanam, vbi in hospitio sæcularium debui me recipere, ibi enim meæ Religionis Conuentum non habebam. Hìc narrare audiui à quodam paupere,qualitèr duodecim circitèr miliaribus propè Romam obuiam habuit nobilem, & pium virum supèr equum sedentem, à quo petijt eleemosynam, quam obtinuit abundantem cum prece, vt prò eo orationem faceret, vt Deus sanitatem ei concederet, quia timebat se, nedùm Neapolim, quò pergebat, sed nequè Romam posse peruenire, adeò acuto viscerum dolore, & vehementi febre erat correptus. His à me auditis interrogaui prædictum pauperem, an vir de quo loquitur, esset cum ocreis, cum pallio rubro, & cum equo albo, & ad omnia respondit affirmatiuè, addens quòd solus etiam sinè famulo erat. Subdidi me talem vidisse propè Romam, & apud ipsum iacentem in terra erat equus albus, sed de eius morte nihil suspicionis habueram; immò

immò cogitaueram se lassum parumpèr quiescere. Post duas horas aduenerunt ad idem hospitium duò mercatores Siculi, & retulerunt se virum inuenisse prostratum supèr solum pallio rubro, & vestibus valdè bonis indutum, cum ocreis, & apud ipsum erat vnus enixè lugens extinctionem improuisam (dicebat ipse) domini sui, propterea ibi expectabat Parochum, ad quem vocandum miserat, vt ab ipso quid agendum esset intelligeret. Dixi ego: si talis defunctus erat ille, quem videram in via, certè famulum secum non habebat, nequè socium, propterea dubium concipio, prædictum lugentem finxisse se seruum mortui, & mendacitèr expectare Parochum, vt interim de omnibus expoliare posset extinctum, de quo probabile est, immò & quasi euideus multas secum prò itinerando habuisse pecunias, & alia considerabilia in sarcinis suis. Totam hanc Historiam audiuit in illo hospitio quidam Religiosus Magister Ordinis Prædicatorum, à quo fui interrogatus, an cuiquè licitum esse dicerem sibi accipere equum, pecunias, & quidquid itenerans nemini notus secum habebat, si in publicà viâ defunctus reperiatur?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Quamuìs mortuus sit ille, apud quem multæ res reperiuntur in publicâ plateâ, seù viâ, nihilominùs videtur rationabilitèr asserendum omnes illas esse proprias eiusdem defuncti, apud quem illæ extant, sicutì si quis omnibus ignotus in vno moraretur domicilio, in quo ex improuiso decederet, certè omnia in tali loco existentia iudicarentur propria extincti inquilini, prò cuius anima essent impendenda, necnon & prò ipsius funere, atquè prò soluendis debitis, si veri creditores darentur. Igitur cùm nihil diuersum dari videatur intèr dictum inquilinum nemini notum, & intèr itinerantem à nullo cognitum, & repentè in via morte correptum, quemadmodùm dominus rerum censetur esse præfatus inquilinus, idem affirmetur de defuncto in nostro casu. Superfluum tamen puto notare, esse adhibendam diligentiam, vt priùs inquiratur, an dentur aliqui, ad quos defuncti supellectiles deuoluantur. Ità de plano respondeo; cæterùm an probabilitèr possit in contrarium casus resolui, videtur dicendum affirmatiuè, subtiliori indagine discurrendo,

sicutì

ſicuti per reſponſionem in ſcriptis præſtabo in ſequenti reſponſione.

Reſponſio latè ſcripta.

2 In reſponſione oretenùs à me data dixi, quòd omnia reperta apud mortuum ignotum præſumuntur eſſe illius iuxtà *l. ſi fines, C. de euict.* & docent Menoch. *conſ. 2. à num.* 83. & Gam. *deciſ.* 230. *num.* 1.

3 Et quod colligatur ex exiſtentia rei apud aliquem, vt dicatur eſſe illius, idem facit ſigillum, quo res eſt ſignata, nàm per illud dignoſcitur cuius illa ſit. Afflict. *deciſ.* 23. *num.* 3. & 4. Maſcard. *de probat. concluſ.* 91. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 64. & alij paſsìm. Si verò duo haberent idem ſigillum, res præſumitur poſſidentis, cui adiudicari debet; at ſi ambæ res ſint penès tertium, diuidentur intèr contendentes. Ouid. de Amicis *de iure emphyt. quæſt.* 42. *num.* 9.

4 Res inuentæ apud neminem, poterunt ab inuentore retineri poſt factam ſufficientem inquiſitionem prò inueniendo domino, ſed non reperto. Ità Sotus *de iuſti. lib.* 5. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Ledeſma 2. *part.* 4. *quæſt.* 18. *art.* 5. cum alijs, ducuntur, quia nullo iure tenentur eas pauperibus erogare; & quidem non tenentur iure poſitiuo, nàm iura obligantia ad reſtitutionem loquuntur ſolùm de debitis incertis iniuſtè acquiſitis, quorum dominium tranſire non poteſt in iniuſtum poſſeſſorem propter malam fidem, & quia caret omni titulo poſſidendi. Sic probatur per Sotum *ex cap. cùm tu, de vſur.* Nequè tenentur iure naturæ, nàm ſi inuenta deberentur tali iure, deberentur etiam dari pauperibus theſauri inuenti, quia & iſti habuerunt dominum, cuius animæ poſſunt prodeſſe, & tamen nemo aſſerit deberi pauperibus ſi inueniatur theſaurus, qui quia eſt in nullius poteſtate, ptoptereà ſit primò occupantis, vt intèr alios docet Syluester *verb. Inuentum, quæſt.* 3. *num.* 13. niſi alitèr ſit diſpoſitum per ius poſitiuum, vt dicunt aliqui.

5 Hinc ad caſum noſtrum videtur dicendum eſſe, quòd pecuniæ, cæteræque res repertæ apud defunctum in via publica omnibus ignotum iudicari debent propriæ eiuſdem defuncti, cuius animæ ſuffragari poterunt iuxtà dicta ſuprà *ſub num.* 2.

6 Nihil-

6 Nihilominùs in contrarium videtur posse dici, quòd tùm pecuniæ, tùm omnia reperta apud mortuum, iste non est censendus dominus talium rerum; nàm defunctus est incapax dominij, quod solùm competit creaturæ rationali, nempè homini, sed mortuus non est homo, atquè ideò percutiens Clericum mortuum non contrahit censuram Canonis *Si quis*, vt docetur ab aliquibus relatis à Diana *part. 9. tract. 4. ref. 39.* quamuìs à nonnullis asseratur cadauera Clericorum, similiumque priuilegiatorum retinere priuilegium præfati Canonis, vt qui in ea manus violentas inijcit, maiori excommunicatione afficiatur. Ità Sperel. *decis.* 45. *num.* 56. & Card. Tusch. *lit. M. concl.* 389. Sed quære *infrà, num.* 8.

7 Item suadetur incapacitas dominij in defuncto, cùm non sit homo, vndè peccans per copulam cum cadauere fæminæ sinè animo fornicario, committit tantùm pollutionis crimen, quia tunc fit pollutio mediante instrumento inanimato, & sic illud cadauer se habet tamquàm statua, vt sentit Sanchez relatus à Diana *vbi suprà, Miscell.* 4. *ref.* 1.

8 Et prædicta sub antecedentibus numeris *6. & 7.* vrgentur per tradita à Deciano *in cap. Ad hæc*, 5. *à num.* 34. vbi aduertit non posse defendi sententiam asserentium esse excommunicatos percutientes cadauer Clerici, & illos referunt Duen. *reg.* 99. *ampli.* 6. & Boer. *decis.* 316. *num.* 12. *in fin.* Ratio est, quia percutiens cadauer hominis, non potest dici, quòd percutiat hominem, nec Clericum, propterea non verificantur verba *Canon. Si quis suadente*, 17. *quæst.* 4. Vide tamen *infrà, num. seq.*

9 Circà mox dicta notat noster Gabriel à S. Vincentio *in suis Respons. var. Respons. vlt.* quòd habens copulam cum cadauere, vel pollutiones patiens ex visu, ac tactu partium verendarum dicti cadaueris, vel se polluens ex desiderio tactus, vel copulæ eiusdem cadaueris, tenetur fateri hanc circumstantiam fæminæ mortuæ, quia est crimen seuitiæ in corpus, & in honestatem defunctæ; & hoc suadetur à pari de interficiente inimicum, quem mortuum percutit, aut scindit in partes, debet enim in Confessione exprimere actum feritatis factum ergà defunctum. Ità Gabr. *loc. cit. num.* 4. & *num.* 5. addit, mortuum non perdere ius ad propriam famam, & honestatem, vndè non licet eum lædere &c. nàm ergà humana cadauera est exercenda pietas, mise-

misericordia, humanitas, & alia huiusmodi.

10 Item probatur quòd hominis cadauer non sit homo, quatenùs aliqui docent, esse bestialitatis peccatum habere copulam cum fæmina mortua: Sic Gesualdus de Bononijs *in Oper. Mor. tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 43.* Ratio est, quia peccatum bestialitatis est peccatum luxuriæ contrà naturam mediante copula habita cum supposito alterius speciei, siuè sit bestia, siuè sit Dæmon in corpore assumpto, siuè sit cadauer.

11 Ex hactenùs notatis *à numero 6. vsquè ad* 10. quamuis videatur debere concludi prò casu nostro, quòd res apud mortuum ignotum repertæ nullius sint censendæ, eò ipso, quòd defunctus non est homo capax dominij, sicque fiant primò capientis, & ab inuentore possint retineri, si diligentèr quæsito domino iste non compareat. Ratio est, quia in tali casu res iure naturæ deuoluitur ad statum communem, fitque primò occupantis; nequè iure positiuo est danda pauperibus, nec in pia opera insumi debet, si sit res fortuitò inuenta, non autem iniustè habita; & hanc sententiam tuentur Sà *verb. Thesaurus, num.* 4. Bannez *in* 2. 2. *quæst. 66. art.* 5. & Diana *part. 2. tract.* 17. *res.* 5. cum alijs; igitur licèt videatur sic debere resolui propositum dubium; tamen omninò verius teneo, quòd bona inuenta debeant intèr pauperes distribui, vel pijs operibus applicari, domino non comparente. Ducor, quia talis est praxis vigens intèr pios, & timoratos, quæ vim legis videtur habere iuxta Cyriac. *Controuers. forens. tom.* 1. *controu.* 1. *num.* 45. Item, quia videtur eadem ratio de bonis fortuitò repertis, & de alijs malè acceptis, adeoquè vtraquè erunt in pios vsus eroganda, sicutì erogari debent malè accepta, vt docent Authores mox citati. Videantur dicenda *infrà, num.* 13.

Deniquè absolutè loquendo res inuentæ dominis restitui debent, vel istis non comparentibus, sunt in pios vsus insumendæ, vt volunt Lessius *de iusti. & iur. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 49. Card. Lugo *de iusti. & iur. disp.* 6. *sect.* 12. *num.* 141. Caietan. *in Sum. verb. Furtum*, & alij, quos refert, & sequitur Noster Andreas à Matre Dei *de iusti. & iur. tract.* 12. *cap.* 2. *punct.* 8. §. 2. *num.* 85. & hanc sententiam suadent dicti Doctores, quia rationabilitèr præsumere debet inuentor voluntatem domini non comparentis esse, vt in eius bonum spirituale res distribuatur, & hoc procedit etiam respectu ipsius inuentoris, quatenùs potest sibi applicare rem inuen-

uentam si ipse sit pauper, vel petere à Confessario, aut à viro docto, vt illam in toto, vel in parte sibi applicet. Ità notat N. Andreas *loc. cit.*

12 Circà prædicta noto duo:

Primum est, quod si inuentor rei hanc pauperibus bona fide dedit, vel in pios vsus insumpsit ex præsumpta voluntate domini, qui quæsitus non comparuit, si posteà comparuit, idem inuentor ad nullam tenetur restitutionem nec ex iniusta actione, nec ex re accepta. Ità Noster Andreas *vbi suprà, num.* 87. vbi notat Palaum, & Layman velle quòd si pauper adhùc conseruet in specie dictam rem acceptam, vel eam in æquiualenti habeat, teneatur ad restitutionem si dominus comparet, quia ditior factus est, & Respublica rem dictam, eiusque vsum ipsi pauperi concedit tantùm quoadusquè compareat dominus. Tamen contrarium docent saltèm prò foro animæ Nauarrus *lib.* 4. *de restit. cap.* 2. *num.* 45. Sotus *de iusti. lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 3. *art.* 5. & alij, quia pauper non recepit mutuò, sed in eleemosynam, tamquàm si dominus rei hanc ipsi misericorditèr daret.

Qui verò sibi tamquàm pauperi retinuit rem inuentam, quæ adhùc in se, vel in pretio remanet, tenetur domino comparente restituere, quamuìs sinè culpa illam habuerit; cæterùm si nec in se, nec in pretio res existat, quam bona fide consumpsit in nihilo factus ditior, nihil debet restituere iuxta regulam communitèr receptam, idemque procedit etiam quandò cum culpa res fuerat acquisita, quia non tenetur nec ratione rei existentis, nequè ratione iniustæ acceptionis, quia præcedens culpa remanet abstersa per voluntatem restituendi, & per diligentiam factam, vt restitueret domino, si inuenisset, & per restitutionem iàm sibi factam tamquàm pauperi. Ità docet Lessius *de iusti. lib.* 2. *dub.* 6. *num.* 43.

13 Secundum quod noto est, dari alicubi in loco publico capsam dictam *de rebus incertis*, in qua de iure aliquo positiuo sunt referendæ, & reponendæ res incertæ, vt sunt res inuentæ, & tale ius positiuum adèò rigorosè obligatorium volunt esse, vt delinquentes excommunicationis pænam incurrant, & consequentèr grauitèr peccauerunt, addita reseruatione talis peccati. Circa hoc audiui aliquos Theologos examinare, an reuerà huiusmo-

di peccatum admittat, & sic censuram contrahat, qui rem inuentam ab ipso, nec domino inuento, illam non deferat ad capsam prædictam. Negatiuam partem tuebantur nonnulli, eà ducti ratione, quòd à iure positiuo non potest derogari ius naturale; sed ius naturale facit esse inuentoris rem de cuius domino, licèt diligentèr quæsito non constat; ergò videtur non obstare ius positiuum. Tamen alij affirmabant, quia stante obligatione quærendi dominum, hanc obligationem non implet, qui rem inuentam non defert ad dictam capsam, ad quam dominus rei deperditæ recurrens illam statim reperit, ac recipit tamquàm ab inuentore, qui sic dominum inuenit. Vide *suprà*, *num.* 11.

INTERROGATIO XXVIII.

An Religiosus in Monasterio carceratus, si fugiat è carcere ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, in isto gaudeat immunitate?

PEr Ciuitatem Ferrariæ dùm transibam in itinere constitutus versùs Venetias, fui requisitus à quodam Prælato Regulari, an Religiosus ab illo carceribus traditus in Monasterio, in quo deliquit, si è carcere fugiat ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, in isto non gaudeat immunitate, sicutì non gaudebat in eo, in quo carceratus detinebatur? Quæstio ista sub lite erat inter quatuor Iurisconsultos, quorum tres affirmabant gaudere, id tamen mordicùs negante quarto, dicti tres ad sponsionem trium duplarum deuenerunt cum quarto, quòd nec aliquam rationem, nequè aliquem Doctorem inuenire potuisset prò sua opinione. Sponsione acceptata à quarto, iste totidem duplas promisit se soluiturum vnam scilicèt prò singulo eorum, nisi secum sentientem, & solidis rationibus probantem contrà ipsos inuenerit. Igitur me ignorante dictam sponsionem fui interrogatus à prædicto Prælato, quid mihi videbatur resoluendum?

Respon-

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Hoc certum eſt Reuerendiſſime Pater, Religioſum delinquentem in Monaſterio poſſe in eo ſinè immunitatis violatione capi, & in carcerem detrudi; ſi verò ad Monaſterium Ordinis non ſui confugeret, ſanè ibi tutus eſſet, nequè indè extrahi poſſet. Quandò autem confugeret ad Monaſterium, ſeù Eccleſiam quidèm ſui Ordinis, ſed non ſui domicilij, videtur exiſtere in loco immuni tamquàm ſibi extraneo, nihilque ad ipſum Religioſum pertinente, adeoquè non poſſe in eo capi. Hinc prò noſtro dubio ſequitur fugitiuum de carcere ſui Monaſterij euntem ad aliud ſui Ordinis Monaſterium, in iſto gaudere immunitate. Ità prima facie dixerim, fateor enim me nunquàm de huiuſmodi euentu cogitaſſe, propterea Venetijs factum examinabo, & ex indè reſponſionem per poſtam mittam Reuerendiſſimæ Paternitati Veſtræ.

Responsio latè ſcripta.

2 Quia Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem, mirum non eſt, ſi etiam in Monachis delictum interdùm irrepſerit, proptèr quod aliquis eorum a Superiore ſuo Dei locum tenente ſit mulctandus vſquè ad carcerem incluſiuè, ſed ſi ſempèr exiſtens in Monaſterio diceretur eſſe in loco immuni, ſequeretur numquàm poſſe à ſuo Prælato capi, & carceri tradi, propttereà in Curia Archiepiſcopali Neapolitana deciſum fuit Religioſos non gaudere immunitate in proprijs Eccleſijs, ac Monaſterijs, benè verò in extraneis. Riccius *part.* 1. *deciſ.* 172. *num.*7. Peregrin. *de immunit. cap.* 12. *nu.* 3. *dub.* 3. *opin.* 2. *arg.* 3. Suar. *de Relig. tom.*1. *tract.*2. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6. Paſſerin. *in Regular. Tribunal. quæſt.* 21. *art.* 3. *num.* 29. & alij.

3 Si autem Religioſus delictum commiſerit extrà Eccleſiam, & Conuentum, volunt aliqui ipſum gaudere immunitate etiam in propria Eccleſia, & Monaſterio. Sic docent Cenedo *qq. Canon. q.* 42. & Petr. Gambacurta *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 10.

Nunc inhærendo præmiſſis duabus opinionibus aſſero Religioſum in facto noſtro, ſi fuit carceratus in Monaſterio, in quo deli-

deliquit, non frui immunitate, vt dicunt Authores primæ opinionis supracitati *sub numero* 2. at si extra Ecclesiam, ac Monasterium commisit delictum, gaudebit immunitate in omni Monasterio, & Ecclesia etiam propria, vt dixi *sub hoc numero* 3. cùm Cenedo, & Gambacurta.

4 Noui, quòd fundamentum trium Iurisconsultorum negantium non gaudere immunitate in Monasterio ad quod fugitiuus se recepit, est, quia eadem ratio cessationis immunitatis prò delicto Religiosi capti in suo Monasterio, dicitur esse, *nè impunis remaneat*, sicutì remaneret, cùm semper sit in Monasterio, quæ ratio procedit prò quocunquè alio eiusdem Ordinis, aliàs etiam in isto impunis remanere deberet: Sed vbi eadem ratio adest, idem quoquè ius dicitur comprehendi, per *l. his solis, C. de reuocandis donat.* & etiam per *l. Illud, de Sac. S. Eccles. ff. de petit. hæred.* & tradunt Tiraquell. *in l. si vnquam, num.* 45. *&* 46. Rebuff. *ad l. in lege censoria* 203. *ff. de verbor. signif.* Surd. *decis.* 276. *num.* 8. Stephan. Gratian. *disceptat. forens. tom.* 5. *cap.* 918. *num.* 66. & alij passim; consequentèr à Superiore saltem Generali Ordinis poterit in quocunquè Monasterio sibi subdito capi tamquàm priuatus immunitate non minùs ac in illo, à quo fugerat.

Tamen tale fundamentum corruere patet, cùm non frui immunitate in Conuentu delicti sit in pænam istius, in pænalibus autem non fit extensio de vno casu ad alium similem, etiamsi subsit eadem ratio, vt benè firmant Calderin. *cons.* 147. alias *cons. vnic. vt lite pendente.* Portel. *in tract. de censoribus, & fideicom. cap.* 6. *n.* 15. & Tusch. *lit. R. conclus.* 31. *n.* 43. Stat ergò conclusio fauore quarti Iurisconsulti asserentis fugitiuum de carcere Conuentus, in quo non gaudebat immunitate, ad alium Conuentum etiam eiusdem Ordinis, in isto frui illa, vt dicam *infrà, num.* 8.

5 Confirmatur faciendo paritatem intèr totam Diœcesim vnius Episcopi, & totam Religionem vnius Generalis, nam quamuis Episcopus possit capere Clericum delinquentem in Ecclesia eiusdem Clerici vtpotè non gaudentis immunitate in ea, tamen non potest in quacunquè alia, ad quam confugiat; similitèr dici debet de Religioso fugiente ad aliam Ecclesiam, seù ad aliud Monasterium eiusdem veluti Diœcesis sui Generalis vbi non deliquit, sicque ibi fruitur immunitate. Passerinus *loc. citato*.

Hinc

Hinc multò minùs poteſt talis fugitiuus capi a Superiore Conuentus, ad quem confugit, cùm nullam iuriſdictionem ſuprà talem fugitiuum ſibi non ſubditum habeat.

Sed nequè Superior Conuentus, à quo fugit poteſt in Conuentu alterius Superioris actum iuriſdictionalem exercere, ideò nec poteſt inijcere manus in dictum ſe receptum in aliena domo, ſic enim eſſet perturbare gubernium domus alterius Superioris, cui fieret præiudicium nemini faciendum, vti Iura, & Doctores omnes clamant, *l. ius pignoris*, *C. de remiſs. pignor. cum ſimil.* Bald. *in l. ei, qui C. de bon.*

6 Vlteriùs certum eſt in Iure, diuerſitatem loci inducere diuerſitatem delicti, & facti. Bero. *conſ.* 142. *num.* 11. *&* 12. *lib.* 3. Quarè tametſi ob delictum Religioſi in proprio Conuentu non teneat immunitas, non eſt faciendum idem iudicium de eo quoad alium locum, ſeù alibi, vbi non deliquit, ſeque recepit; igitur in iſto tenet, & ipſi iuuat immunitas.

7 Inſupèr, delictum qualificatum ex eius admiſſione in Conuentu v. g. Sanctæ Crucis, perdit hanc qualitatem in Conuentu dicto Sancti Franciſci; ſi ergò eſt diſpoſitum, quòd non faueat immunitas Religioſo exiſtenti cum delicto qualitatem habente admiſſionis in Conuentu A. talis diſpoſitiò non comprehendit illud quoad Conuentum B. ad quem fugit; nàm diuerſa qualitas diuerſificat diſpoſitiones, & actus. Ruin. *conſ.* 114. *col.* 2. *num.* 1. *lib.* 5. & Rimin. *conſ.* 429. *num.* 4. *lib.* 3.

8 Item facit, quòd diuerſitas in qualitate facit vnum ab altero differre, vt habent Cardinal. Tuſch. *tom.* 2. *Practicar. Concluſionum, lit. D. concluſion.* 527. *per tot.* & Rota *in Piſtorien. Beneficij*, 11. *Maij* 1618. *coràm Burrato impreſſa per Viuian. poſt Praxim Iuriſpatron. deciſ.* 16. *num.* 11. Proindè non eſt aſſerendum idem de diſpoſitione, quæ priuat immunitate, ac de alia tali immunitate non priuante *clarè*, adeoquè ſi illa ſit ſub *dubio*, erit accipienda *ſtrictè*, vtpotè odioſa, vt notaui etiam *ſuprà ſub numero* 4. *in fine*. Et hoc roboratur per diuerſitatem nominum, vnum *Conuentus Sanctæ Crucis*, aliud *Conuentus Sancti Franciſci*, quæ diuerſitas diuerſitatem infert rerum, & locorum, *l. ſi idem, C. de Codicil.* Bald. *conſ.* 194. *col. fin verſ. facit etiam*, *lib.* 1. Alexand. *conſ.* 4. *num.* 4. *lib.* 1. Vide *infrà*, *num.* 10.

Ergò quod affirmatur de non immunitate prò capto in Conuentu

uentu Sanctæ Crucis, non sequitur fore idem quoad Conuentum Sancti Francisci, ideò fugitiuus de illo Conuentu ad istum, in hoc gaudere ex hactenùs allegatis concludendum est.

9 Ad argumentum in contrarium patet responsio ex dictis *suprà, num. 4. in fine*, & *num. 8.*

10 Ex præallegatis sequitur esse saltèm sub dubio, an Religiosus in casu nostro sit priuatus immunitate etiam in Conuentu, ad quem fugit, propterea ad firmandum non esse priuatum, affero verba Cyriaci *controuersia 139. num. 14.* dicentis sic: *In dubio facienda est interpretatio ad exclusionem priuationis, etiamsi ageretur de commodo Ecclesiæ. Alba cons. 97. num. 41. Mantica de tacit. & ambiguis conuent. lib. 25. tit. 2. num. 20. & quia in pæna priuationis liquidissima debet esse probatio. Dec. cons. 289. aliàs est cons. 290.* Hæc ille.

INTERROGATIO XXIX.

An ad aliquid teneatur nouus Rector Hospitalis ab immemorabili concessi quibusdam, de quibus hodiè nulla extat memoria?

Occasione, qua cursum Quadragesimalium Concionum faciebam in Cathedrali Ciuitatis Tridentinæ, venit ad me ex consilio, seù potiùs de mandato Celsissimi, & Reuerendissimi D. D. Ioseph Victorij de Albertis ibi Episcopi, & Principis quidam Doctor sæcularis mihi scripturam præbens, vt de contentis in ea meam dicerem opinionem. Erat autem scriptura tenoris sequentis:

Quintum iàm voluitur sæculum ex quò Titius laicus cessit Episcopo loci quodcunquè Ius habebat, vel habere poterat in Ecclesia, & Hospitali N. Acceptauit Episcopus omnia, statimque disposuit de sibi cessis cum facultate disponendi de illis, prout voluerit sinè contradictione etiam hæredum eiusdem Titij. Inuestiuit ergò Episcopus quemdam Religiosorum Ordinem de eodem Ecclesia, & Hospitali cum onere distribuendi in pauperes, & indigentes in illo tantùm loco omnes fruges. De dicti Hospitalis primæua fundatione nulla extat memoria, tamen constat, quòd ab immemorabili tempore Hospitalis obseruantia in eo non viguit,

viguit, atquè quòd dicti Religiosi rarò aliquam eleemosynam pauperibus ibi aduenientibus facere consueuerunt. Demùm extinctus fuit præfatus Ordo, & Dataria Apostolica dictum Hospitale Clericis sæcularibus in administrationem commisit iuxtà formam Clementinæ: Quia contingit, §. Vt autem, De Relig. Domibus, ità quòd liceat illius Rectori debitis, & consuetis supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, & prouentibus liberè disponere, & ordinare, sicùt illius Rectores, qui prò tempore eidem præfuerunt de illis disponere, & ordinare potuerunt, seù etiam debuerunt.

Stantibus prædictis, nunc modernus dicti Hospitalis Rector dubitat de tribus, de quibus interrogat.

Primò, an teneatur ad Horas Canonicas solùm ob administrationem dicti Hospitalis?

Secundò, an in proprios vsus conuertere possit redditus, atquè fructus eiusdem Hospitalis, si aliqui extent?

Tertiò, & quatenùs non possit dictos redditus, & fructus in proprios vsus conuertere, qualitèr de illis disponere debeat, cùm figura Hospitalis iamdudùm in eo exoluerit, & locus sit campestris, & ab accolis dissitus?

Lecta à me suprascripta scriptura coràm Doctore mihi illam præsentante respondi.

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Tria sunt, quæ per hanc mihi exhibitam scripturam requiruntur, ad quorum singula censeo respondendum esse sic:

Ad primum, non teneri ad Horas.

Ad secundum, posse sibi retinere redditus, & fructus.

Ad tertium, teneri dare pauperibus.

Ità dico, & probabo per scripturam fusè scriptam.

Responsio latè scripta.

2 Nouum Rectorem non teneri ad Horas Canonicas, ad quas habentes Ecclesiasticum Beneficium ex Ecclesiæ institutione obligantur, vt liquet ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* & ex Pio V. de qua loquitur Nauarrus *cap. 25. num. 122.* Hospitale autem non venit appellatione Beneficij Ecclesiastici quandò datur

datur in administrationem. Rebuff. *in reg. de deuolut. num.* 73. & *in tract. nominat. quaest.* 15. *num.* 13. & tradit Rota *decis.* 739. *n.* 9. *part.* 1. *recent.* & in vna *Alexandrina*, *Beneficij*, 18. *April.* 1625. *coràm Merlino*. Esset tamen Beneficium, & ad Horas ligaret, si esset datum *in titulum*. Rota *decis.* 667. apud Farinacium *in collect. nouiss.* At in casu nostro expressè dicitur à Dataria datum *in administrationem*.

3 Et vrget non esse Beneficium, eò ipso quod fuit cessum Episcopo à viro laico, qui illud possidebat; laici autem nisi saltèm sint tonsurati sunt incapaces Beneficij Ecclesiastici, *cap. ex litteris*, *de transactionib.* & *cap.* 2. *de instit.* vbi Abbas, & alij, & tradit Hieronym. Garcia *de Benefic. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 28. cum pluribus.

Immò si Beneficium concedatur laico, eò ipso saecularizatur, fitque ius saeculare consistens in mera temporalitate percipiendi fructus, & quidem sinè Simonia. Cùm igitur qui Episcopo cessit Hospitale esset omninò laicus, nullum cessit Beneficium ad Diuinas Horas obligans.

Neque dictum Hospitale fuit ab Episcopo redactum ad statum Ecclesiastici Beneficij, quod definitur, *Ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis personae Ecclesiasticae propter Diuinum Officium competens, vel obsequium*, nàm illud tradidit Religiosis cum onere distribuendi in Pauperes omnes fruges eiusdem Hospitalis, vndè apparet dictos Religiosos nullum ius habuisse ad prò se recipiendum fructum aliquem, ac proindè nullum Beneficium ab Episcopo fuit illis concessum, quod sit Ecclesiasticum obligans ad Diuinum pensum quotidianum. Haec sufficiant prò responsione ad dubium primum.

4 *Ad secundum* dico, integrum esse moderno Rectori fructus, & redditus Hospitalis in proprios vsus conuertere *sicut* fecerunt praedecessores in eodem Hospitali, siuè fuerint praefati Religiosi, siuè fuerint Rectores, supportatis debitis oneribus, dempta Hospitalitate. Sic patet ex verbis concessionis nupèr factae à Dataria Apostolica, quae apertè sonant hanc concessionem; seù conuersionem in vsus proprios per similitudinem ad praestita ab alijs Rectoribus; nàm dictio *sicùt* importat omnimodam similitudinem, & identitatem, *l. si quis obrepserit*, *ff. de falsis*, & *cap. olim*, *de verbor. signif.* & tenent Tiraquel. *de iure primog. quaest.* 40. *n.* 30.

Me-

Menoch. *cons.* 232. *num.* 22. Socinus Senior *cons.* 235. *Visis, num.* 1. *lib.* 2. & alij passim.

Immò, per hoc quòd Dataria Apostolica concesserit, & disposuerit per dictionem *Sicùt*, voluit indicare causam, acsi dixisset, *Quia*; nam in dispositione de sui natura ordinata ad concedendum, vt est in præsenti, dictio *Sicùt* ponitur prò *Quia*, per tradita à Bossio *in tit. de Principe, & priuil. eius, num.* 351. & Alexand. *cons.* 145. *Quoniàm, num.* 4. *lib.* 2. vbi *apostil. in verb. Sicùt*; sicque stat sensus Datariæ tamquàm si apertè dixisset: concedo nouo Rectori posse sibi retinere redditus, *Quia* sic fecerunt præteriti Rectores, qui quòd sic fecerint probat immemorabilitas. Bald. *in l.* 1. *C. de emancip. liber.* Innocen. *in cap. nouit. de iudi.* & *in cap. super quibusdam, §. Præterea, de verb. signif.*

Et quòd immemorabilitas probet Religiosos, ac Rectores antiquitùs sibi ipsis retinuisse redditus, cantatur in scriptura supraposita antè *numerum* 1. dicente, quòd *ab immemorabili tempore Hospitalis obseruantiæ in eo non viguerint, nequè Religiosi in eo inuestiti eas plenè adimpleuerint*, certè non quia præsumendum sit, quòd vanè redditus proiecerint, sed quòd sibi retinuerint, nequè hìc habet locum præsumptio credendi fuisse factas debitas reddituum distributiones, ac solutiones in præteritum, nàm ad inducendum talem præsumptionem requiruntur tres solutiones annuæ, & continuatæ, & vltimæ, per text. *l. quicunquè* 3. *C. de apoc. publ.* Gabr. *conclus.* 11. *de præsumption. num.* 1. *fol.* 22. Iacobin. de S. Gregorio *in Authen. Qui rem, num.* 7. *C. de Sacros. Ecclesia, fol.* 9. & alij; huiusmodi solutiones in casu nostro non dantur in tempore antiquo, & multò magìs in antiquissimo, quale est nedùm quingenti anni, sed etiam tantùm centum, teste Cephal. *cons.* 443. *num.* 16. *fol.* 779. & de Amatis *in decisionibus Rotæ Ferrariens. decis.* 1. *n.* 17.

Hactenùs allegata procedunt prò tempore, quandò locus Hospitalis extabat, & non erat campestris, idest destructus, propterea dispositio facta à Dataria iuxtà Clementinam *Quia contingit*, *§. Vt autem, de Religios. domibus* citatam supra, stat supponendo dari bona, quæ commitantur administrationi alicuius viri prouidi, sed talia non dantur, cùm locus Hospitalis factus sit totus campestris, sed quomodò peruenerit ad extraneos dominos illius possessores, antiquitas facti memoriam deleuit; propterea eadem Clementina loquens de bonis, ac iuribus Xenodochiorum desti-

natis prò miserabilibus, asserens non posse in alios vsus conuerti, addit verba expressè sonantia, dummodò *præsumptio verisimilis non existat* in contrarium, quæ præsumptio in casu nostro existit, attenta destructione Hospitalis redacti ad statum campestrem, & quòd qualitèr, ac quandò ad dominium extraneorum deuenerit nulla detur memoria, quia ab antiquitate fuit abolita, sicque ex his sit clara præsumptio, desijsse qualitates Hospitalis de quo agimus, nihil obstante Clementina.

Et quatenus videtur prædictis obstare Concilium Tridentinum *sess. 25. de reform. cap.* 8. statuens, quòd si in Hospitalibus Hospitalitas nequeat exerceri ob defectum Peregrinorum, fructus destinati ad Hospitalitatem applicentur *in alium pium vsum &c.* dicendum est in tali decreto non comprehendi Hospitale, cuius forma, cuiusque fructus à tempore immemorabili non extant.

Sic censeo satis remanere responsum ad secundum dubium.

5 *Ad tertium* breuitèr dico, remanere eius resolutionem deducendam ex mox traditis; sed si adhùc extaret Rector, extantibus quoquè aliquibus fructibus, & forma aliqua Hospitalis, ille teneretur se gerere iuxtà onera ab Episcopo imposita Religiosis, quos inuestiuit, & notata *suprà, vers. Quintum iàm*, scilicèt dandi indigentibus in eo loco, licèt ab Accolis dissito, quia in eodem loco censendi sunt esse, qui sunt in districtu, vel in territorio, aut in pertinentijs quoad effectum participandi de eleemosynis, nàm appellatione Ciuium veniunt illi de comitatu, de districtu, de territorio, & pertinentijs, vt benè firmant Neuizan. *in sua Sylua, lib.* 4. *num.* 87. & Bart. *conf.* 199. *Ciuitatis Camerini, num.* 5. *vers. supèr quanto, lib.* 1.



IN-

INTERROGATIO XXX.

An captus in Oratorio fuerit ritè carceratus, deindè suspensus, sinè Parochi cooperantis irregularitate, ac sinè immunitatis violatione.

Titius Nepos Capellani cuiusdam Parochi grauitèr vulnerauit Caium dicti Capellani consobrinum, propterea ad euitandum carcerationis periculum ad domum alterius Parochi confugit. Ad istum Parochum quærendum accessit quidam extraneus conscius eum abesse, sed ad visitandum ægrotum perrexisse. Talis extraneus fuerat semel, ementito prætextu, ad loquendum cum isto Parocho, Titio eodem vidente, & sic isti quodammodò notus erat idem extraneus, quapropter de isto nullam suspicionem habebat. Rogauit extraneus Titium, vt quia sciebat quò Parochus iuerat, dignaretur ad illum ducere, secum enim agere de negotio moram non patiente debebat. Renuebat Titius pergere, quia inimicos habebat, sed blandis verbis eum induxit nè timeret, nàm armis suis erat paratus ad ipsum tuendum. Acquieuit Titius enixè supplicanti, cumque ambò peruenissent ad campum opportunum prò intrinseco intento extranei, iste insurrexit contrà comitantem, & occidit, ille quippè erat fictus amicus, verus tamen siccarius. Factum casù vidit quidam rusticus, qui ad Ecclesiam currens solitum in campana dedit signum, vt omnes accurrerent, si forsàn delinquentem inuenissent, sicutì illum inuenerunt confugisse ad quoddam Oratorium, intrà quod se clausit, mortem de intùs promittens cuicunquè voluerit ipsum molestare. Audito sono campanæ venit velocitèr Parochus, qui misit ad vocandum Curiam Episcopalem, imposuitque quibusdam, vt curarent nè fugeret, immò si exierit ab Oratorio ipsum retinerent. Aduenerunt satellites, à quibus vocatus reus, vt se Curiæ præsenti spontè traderet, noluit, propterea portam frangere cæperunt, statimquè homicida per foramen bis sclopum explosit cum interfectione vnius de Curia, & vulneratione alterius, sed tandem captus remansit, formatoque

processu suspensus fuit suprà furcam.

Hinc ortum est dubium, de quo interrogatus fui dùm transibam per locum dictum *Villa* diæcesis Tridentinæ, an violatio immunitatis in isto facto fuerit admissa, vnà cum irregularitate Parochi tamquam cooperatoris ad carcerationem homicidæ, cui mors per suspensionem in patibulo certè fuisset sequuta?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Oratorium ad quod quis confugit non semper tale est, vt gaudeat immunitate. Si Oratorium sit publicum authoritate Episcopi constructum, & perpetuò cultui Diuino dicatum, ità vt ampliùs in prophanos vsus transferri non possit censetur locus Sacer, & Religiosus gaudens immunitate Ecclesiæ. Secùs dicendum est de Capella, seù Oratorio, quod personæ priuatæ habent in domibus suis priuata authoritate constructum, quamuis in eo celebrandi facultatem Episcopus dederit cum licentia Summi Pontificis; nàm tale Oratorium non dicitur immutabilitèr Diuino cultui dicatum, ideòque non dicitur Sacer locus, qui gaudeat immunitate. Consideretur ergò qualitas Oratorij, ad quod homicida confugit, & concludatur esse, vel non esse in loco immuni iuxtà quæ dixi.

Si dubium sit an Oratorium sit erectum authoritate Episcopi, & in eo publicè celebretur, præsumi debet fundatum tali facultate, ità quòd gaudeat immunitate loci Sacri. Eadem præsumptio habenda est de Oratorio habente campanam supèr tectum, quæ publicè pulsatur.

Dato igitur quòd homicida se receperit intrà Oratorium Episcopali authoritate erectum, nihilominùs dicendum est prò facto nostro, illum non frui immunitate, quia proditoriè se gessit cum occiso; & etiam quia existens intrà Ecclesiam, seù dictum Oratorium occidit existentem extrà illud, nempè satellitem vnum, & alium mutilauit.

Circà interrogationem, an Parochus contraxerit irregularitem tamquàm cooperator ad mortem capti posteà certè suspendendi, dico negatiuè, quia nullam præstitit cooperationem ad necem per hoc præcisè, quòd mandauit quibusdam hominibus,

vt

vt curarent nè reus exiret ab Oratorio, donèc adueniret Curia; vel si exierit, ipsum detinerent dandum eidem Curiæ. Est enim certum, quòd irregularitas homicidij publici non contrahitur à personis priuatis, sed solùm à ministris iustitiæ. Ità Vasquez, & ex eo Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3.*

Responsio latè scripta.

2 Responsio ad præsens factum danda, esse debet de Oratorio certè, vel præsumptiuè Episcopali authoritate erecto. Si dubium extet an Oratorium Episcopi authoritate sit fundatum, præsumi debet sic ædificatum, si in eo publicè celebretur admittendo omnes ad Diuina Officia. Ità Sanch. *lib. 9. de Matrimon. disp.* 15. *num.* 21. & alij.

Item præsumitur Episcopi authoritate ædificatum, si supèr tectum habeat campanam, & publicè pulsetur, quidquid in contrarium dixerit Sarpus loquendo de Oratorijs Confratrum Ecclesiæ, vel Monasterio affixis. Quamuis autem Nouari. *sect. 2. quæst. 56. num.* 8. id extendat ad omnes Confraternitates etiam sinè Episcopi facultate erectas, dummodò in eis pia opera exerceantur, tamen contrarium declarauit S. Congregatio Episcopor. *die* 17. *Decembr.* 1617. & S. Congregat. Immunitatis *die* 9. *Decembr.* 1631.

3 Nunc data præmissa cognitione qualitatis Oratorij, vt saltèm præsumi possit Episcopali facultate erecti, ità vt censeri debeat locus Sacer, & immunis, assero de homicida in casu nostro, qui ad huiusmodi Oratorium confugit, non frui eius immunitate, quia proditoriè occidit proximum, cui se obtulerat proprijs armis defensorem, adeoque non timeret exire de domo, & secum pergere ad quærendum Parochum, sicque dolosè seduxit, vt interficeret illum, qui nihil tale præuidebat de amicitiam simulante. Et quòd occidens proditoriè non gaudeat immunitate Ecclesiastica docetur à Bassæo *in Florib. verb. Immunitas*, & est communis opinio.

4 Est etiam considerandum, quòd dictus homicida existens intrà Oratorium explosit sclopum bis cum occisione vnius satellitis, & mutilatione alterius existentium extra Oratorium, proptereà priuatur immunitate, vt notat Bassæ. *loc. cit.* at non priuari

ten-

censent Bonacina, & Diana, nihilominùs Bassæi sententia verior est, quam tenent Nauarrus, Couarruuia, & Suarez. Ad rem præsentem quære adhùc *infrà, num. 6.*

5 Cùm igitur homicida proditor in facto nostro non gauderet immunitate Oratorij in quod se receperat poterat à birruarijs intrà illud capi etiam frangendo ianuam, licitum enim est birruarijs fenestras, & ostia frangere prò capiendo malefactore, non tamen vt capiant debitorem, nequè vt faciant aliam executionem realem &c. vt tradit Farinac. *quæst.* 27. *num.* 94.

6 Et quia reus in facto nostro occidit ministrum iustitiæ, quæ occisio est crimen læsæ Maiestatis, posset inquiri, an tale delictum gaudeat immunitate? Dico gaudere, quia non fuit crimen commissum in ipsam personam Principis, Bulla enim excipit ab immunitate crimen commissum tantùm in eamdem Principis personam, & sic notat etiam Bonacina *de legib. disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 22. cum alijs.

7 Deniquè quantùm spectat ad cooperationem, quam præstitit Parochus in carcerationem rei certè posteà suspendendi, iàm notaui suprà in fine responsionis oretenùs datæ, quòd nullam contraxit irregularitatem homicidij publici solis Ministris iustitiæ impositam. Hìc venit etiam obseruandum, quòd irregularitatem homicidij publici non incurrit detegens malefactorem, vel clamans adesse latronem, vt comprehendatur, dummodò id faciat non vt testis, vel nec vt accusator. Ità tenet Turrianus *de cens. lib.* 9. *disp.* 66. *dub.* 4. Contrarium tamen docetur à Bonacina *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *num.* 18. sed veriorem, & magìs practicatam video Turriani opinionem, durum enim videtur non posse etiam Sacerdotem sinè contractione irregularitatis ex defectu lenitatis clamare adesse v. g. furem bona sua, vel proximi, aut Ecclesiæ rapientem.



IN-

INTERROGATIO XXXI.

An obligatio faciendi eleemosynam prò lucrando Iubilæo possit per alterum impleri; & an lucretur, si iste omittat implere?

EXistente me in Sacristia Sanctæ Domus Lauretanæ audiui duos Sacerdotes, vnum Regularem, & alterum Sæcularem inter se disputantes, an quis adimpleat obligationem faciendi eleemosynam præceptam prò lucrando Iubilæo si per alium eam mittat, sed illius delator putatus fidelis nihil de facto obtulit, vel quia pecuniam sibi datam amisit, vel quia ei furata fuit, vel quia eam sibi retinuit. Diuersæ erant illorum opiniones, & ego vtriusquè rationes tacitus obseruabam: Vnus affirmabat, eò quòd qui per alium facit, facere censetur per seipsum; qui verò negabat innitebatur obligationi ponendi de facto singula requisita à Pontifice in sua Bulla, omissis contrarijs scholarum doctrinis. Regularis erat, qui prò parte affirmatiua stabat, cui notus eram, propterea me interrogauit cuius sententiæ eram circà à me audita?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Noto quòd duplicitèr potest quis satisfacere obligationi faciendi eleemosynam, nempè vel cum exbursatione propriæ pecuniæ per se ipsum datæ; vel cum pecunia alterius prò illo soluentis. Dubium ergò est, quandò nulla fit eleemosyna defectu internuncij, qui accepta pecunia, vt prò eam dante soluat, sed nihil soluit, vel quia iniquè sibi illam retinet, vel quia illam amisit, vel quia ei furata fuit, sic enim mens Pontificis eleemosynam imponentis prò Iubilæi consequutione non videtur impleta, & ideò probabilitèr benè afferebat Admodum Reuerendus Dominus, quòd Iubilæi Indulgentia non obtinetur. Nihilominùs probabiliorem habeo opinionem oppositam, quia qui semèl soluit quamuìs per nuncium, præsertìm putatum fidelissimum verè fecit quod debuit, nec credendum est velle Papam in tali casu obligare ad duplicem solutionem eleemosynæ, neque velle priuare Indul-

gen-

gentia, atquè gratijs concessis in Bulla scientem, & à fortiori ignorantem non fuisse factam solutionem eleemosynæ alteri commissæ. Hæc mea responsio verbotenùs prò nunc sufficiat, quam fusè probabo per scripturam à me faciendam Romæ quò vado, & mittendam Taurinum, quò Reuerentia Vestra itu-ras est.

Responsio latè scripta.

2 Quia opera in Bulla Iubilæi præscripta debent adimpleri, propterea in dubium vocatur, an satisfiat, si imposita eleemosyna prò consequendo Iubilæo a Flauio soluatur v. g. ab amico Flauij isto nesciente, vel sciente, & quidem cum pecunijs proprijs dicti amici, siuè cum proprijs eiusdem Flauij mediante ipso amico datis?

Dico certum esse Indulgentiam obtineri à Flauio eleemosynam de proprijs mittente alium ad soluendum prò illo, iuxtà textum, *qui per alium facit per seipsum facere dicitur. cap. Qui aliùm, ff. de Reg. Iuris in 6.* & hoc maximè in necessariò faciendis, vt notat Angel. Aretin. *cons. 61. n. 13.* vbi allegat *l. 1. §. Si Procurator, ff. Quod quisquè iuris,* sicuti eleemosyna prò consequendo Iubilæo est necessariò facienda intèr cætera opera. Nec obstat assertum Signoroli *cons. 45. n. 10.* dicentis non habere locum allegatam Regulam Iuris quandò statutum loquitur de faciente, quam opinionem sequitur totus mundus: Sed respondetur id debere intelligi quandò statutum loquitur de ipsomet faciente quatenùs alterius operam excludit; & tunc totus mundus concedit non posse per alium fieri quidquid per seipsum ex vi statuti tenetur quis facere, huiusmodi verò non est statutum Iubilæi de facienda eleemosyna, in quo non est electa industria determinatæ personæ.

3 Si autem inscio Flauio alius soluat eleemosynam Iubilæi prò eodem Flauio censeo Iubilæum acquiri a Flauio si cætera requisita posuerit. Id mihi probatur à pari, nam si Sempronius soluat debitum Titio creditori Caij nescientis, quòd Sempronius prò ipso soluerit, Caius liberatur à debito, vt firmaui *in mea Arbore omnium opinionum, verbo Soluere, §. 5. num. 36.* ergò quoquè si alius soluat eleemosynam Iubilæi debitam à Flauio etiam nesciente, quòd alius prò ipso soluerit, liber remanebit a debito vtpotè iàm

soluto,

soluto, maximè quia non adest obligatio vt Flauius per se personalitèr soluat. Sed contrà posset quis dicere, quòd supposita ignorantia Flauij de eleemosyna ab alio prò se soluta videtur non habere intentionem lucrandi Iubilæum, eò ipsò quòd ignorat fuisse impleta saltèm ab alio prò se singula præcepta in Bulla. Nihilominùs responderi potest ex communiori opinione, quam tenent Sanchez, Valentia, Vasquez, & alij, quos refert, & sequitur Diana *part. 3. tract. 6. Miscell. 2. res. 68.* non requiri intentionem siuè formalem actu, siuè virtualem prò adimplendis legibus, & præceptis, sed sufficere si ponatur opus præceptum, quod fiat siuè à me, siuè ab alio prò me, nisi aliud obstet, proùt obstaret in materia satisfactionis Sacramentalis, cùm ista sit pars Sacramenti, ad quod in adultis requiritur intentio, & voluntas recipiendi. Vasquez *Opusc. de Beneficijs, cap. 4. §. 1. art. 3. dub. 7. num. 117.*

4 Et quòd eleemosyna facta prò me etiam nesciente prosit mihi iuxtà mentem facientis illam, quæ à me personalitèr fieri expressè non exigitur, suadetur; nam talis eleemosyna est opus pium positum ad impetrandum prò eo, cui applicatur, & ad satisfaciendum prò alio apud Deum, & homines in materia soluendi debitum, vt dixi *suprà, numero antecedenti*; ergò Indulgentiam, & alia concessa in Bulla in nostro casu obtinebit ille, qui cætera requisita impleuit per se, & eleemosynam per alium, quem casum ab aliquo examinatum non reperi.

5 Si verò nec ego facio eleemosynam, nec alter prò me eam faciat, tunc Iubilæum non obtinebo, quia non fuerunt adimpleta singula requisita in Bulla; obtinebitur tamen si alteri putato fideli dem eleemosynam, vt illam soluat, sed ille omittat soluere; nam non ideò non satisfeci, nequè ad aliam teneor, à pari de debitore mittente v. g. Confessarium ad restituendum rem debitam, si ille non restituat, & talis est communis opinio, & traditur à Diana Coordin. *tom. 8. tract. 4. res. 71. num. 4. ad med.* Tamen non omittam hìc ponere quod habet idem Diana *dicto Tomo 8. tract. 7. res. 45.* nempè, quòd si præfatus Confessarius non restituat debitum ipsi impositum restituere, ipse debitor tenetur denuò ipsum debitum soluere ex sententia D. Antonini, Syluij, Fabri, Lazarij, Conradi, Petri Nauarri, Sayri, Toleti, & Homoboni, quos ipse refert, quia res ex delicto debita, antequàm ad creditorem

perueniat, perit ipsi debitori, non enim debet ipse creditor damnum pati ob delictum debitoris, vt benè probant Rebell. *de obligation. iusti. part. 1. lib. 2. quæst. 13. sect. 3.* Molina *de contr. tom. 2. tract. 2. disp. 96.* Azor. *Instit. moral. part. 3. lib. 4. cap. 33.* & alij. Nihilominùs ipse Diana *loc. cit.* dicit ipsi probabilem semper visam fuisse sententiam contrariam, cùm debitor non deberet cum infamia restituere, & quantùm in se est fecit quod potuit, & si creditor ad sic restituendum non consentiret, esset irrationabilitèr inuitus, & hanc opinionem vocat probabilem Lessius *de iusti. lib. 2. cap. 16. dubit. 6. num. 67. in fin.* illamque in terminis tenet Cenedo *de Paupertate Religiosa, dub. 34. num. 8.*

INTERROGATIO XXXII.

An fæminæ possint dona quæcunquè prò vsu proprij corporis alicui dato recipere, & retinere?

REuertente me ex Tridento inueni propè Veronam satellites captiuam ducentes fæminam. Quæsiui quænam esset illa, & intellexi illam esse mulierem, quæ ingentes pecunias, & pretiosissima munera acceperat à quodam filiofamilias iam in carceribus detènto, à quo omnia in domo patris sui cum notabili istius damno fuerant furata. Perueni Veronam, vbi per aliquot dies moram feci, ibique dictum furtum publicatum audiui, circà quod excitàta erat quæstio intèr aliquos moralis Theologiæ studiosos, quorum aliqui me interrogauerunt, an ad omnium acceptorum restitutionem fæmina teneretur? Et quid dicendum sit, si fæmina recipiat à Religioso?

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Si filius familias sumptus non exiguos faciat cum fæmina impudica etiam occulta, illam ad oblatorum restitutionem obligatam esse docent viri docti, & timorati in omni casu. Quandò verò sumptus immodici fiunt cum fæmina impudica, tunc illa obligata erit ad restitutionem. Ità censeo, quia quamuìs parentes non consentiant in lasciuiendo filiorum familias suorum, nihilominùs

ominùs si aliquandò peccent, non iudicantur inuiti circà modicos sumptus cùm fæminis, cùm sciant aliquid fore insumendum, idemque assero de minorum Curatoribus, isti enim loco parentum succedunt quoad illorum facultates, sicque modicum recipientes à dictis filijs, ac minoribus prò turpi actu non tenentur restituere, quia non retinent alienum, sed tantùm eis datum à potentibus alienare, quales sunt parentes, ac Curatores tamquàm domini permittentes dari talia exigua. Loquendo postea de Religiosis, certum est, quòd fæminæ impudicæ si ab illis recipiunt aliquid tenentur restituere, quia nec illi possunt dominium transferre, nequè ad id licentiam habere à Prælatis suis, cùm isti non sint domini, sed solùm sint dispensatores. Verùm hæc omnia quæ dixi clariùs declarabo in scriptura, quam post duos dies dabo.

Responsio latè scripta.

2 Cùm duò sint genera fæminarum, vnum meretricum publicarum, aliud impudicarum priuatarum, asserit Pater Mendo *in Bull. disp.* 34. *cap.* 19. *num.* 204. (temperando quod dicit Trullench. *in Bulla Cruciatæ, lib.* 3. *Cas.* 17. *num.* 9. & cum eo aliqui viri docti, & timorati, nempè filios familias non posse cum impudicis fæminis adhùc occultis non exiguos sumptus facere, quin illæ in omnibus casibus sint ad restitutionem obligatæ) loquendo de mulieribus impudicis tunc eas teneri ad restitutionem, quandò sumptus immodici fiunt à filijs familias, quia licèt Parentes, aut etiam Curatores sint inuiti circa filiorum, aut minorum culpas, & lasciuiendi licentiam, nihilominùs si semel peccent iudicantur spontanei circà eos moderatos sumptus cum fæminis, & sciunt quòd hoc ipsò quòd cum eis turpiter agant debent aliquid insumere, circà quod non sunt absolutè inuiti. Versatur tamen discrimen inter Parentes, seù Curatores loco parentum successores, & Prælatos Religionum, quòd isti munus gerunt dumtaxàt dispensatorum, illi verò dominorum suarum facultatum, & possunt permittere, quòd à filijs etiam turpitèr operantibus transferatur dominium aliquorum munerum, ità quòd valida sit donatio à filijs facta, & conuentio cum fæminis; at hoc præstare nequeunt Prælati vtpotè non domini. Quæ autem dixi de Curatoribus intelli-

gitur solùm de permissione quantitatis, quam filijs lasciuientibus ipsi parentes permittere valent.

3 Et vt clariùs procedam, ponam hic quod aliqui asserunt. Pater Mendo *vbi suprà, sed numero 203.* ait, quamcunquè fæminam impudicam teneri restituere, quod accepit à non potente alienare; vndè si accepit à Religiosis, & non restituat retineret alienum, nihil enim proprium habet Religiosus, cuius dominium transferre possit, propterea opus habet licentià Prælati, vt aliquid donet, sed Prælatus concedere non valet facultatem subdito, vt aliquid præstet in ordine ad consequendum actum turpem. Verùm si fæmina sit publica meretrix, & aliquid à Religioso acceperit non excedens solitam, ac debitam mercedem prò locatione vsus corporis sui, censeo posse post actum turpem illud retinere, quia actu completo iusta est solutio, & ad eam valet Prælatus licentiam indulgere: Quare in vtroquè foro potest meretrix petere, quod sibi debetur tamquàm iusta solutio quamuìs ex iniquo actu sequuta; cæterùm aliæ fæminæ non habent hanc actionem ad exigendum, & retinendum, nàm huiusmodi actio datur meretrici ex partium conuentione, quæ est quidam contractus, qui si fiat cum Religioso est illicitus, & inualidus vtpotè factus cum eo, qui alienare non potest. Scio non defuisse quemdam, qui dixit, quòd sicutì Prælatus potest concedere Religioso, vt exponat aliquid exiguum, ac moderatum in ludo facta conuentione cum collusore, sic etiam poterit dare licentiam conueniendi cum fæmina prò actu meretricio; sed respondetur non stare paritatem, quia ludus moderatus non est illicitus, sicutì illicitus est actus turpis, de quo conuentio facta cum fæmina est peccaminosa, & contrà votum castitatis; & hucusquè dicta docet P. Mendo *loc. cit.*

4 Et vt referam varias Doctorum opiniones prò nostra difficultate, pono quæ dicit Cardinalis de Lugo *de iusti. tom. 1. disp. 3. sect. 7. num. 142.* vbi sic: Non puto probabilem sententiam, quæ dicit, quòd quandò Prælatus dat subdito plenam, & liberam facultatem expendendi aliquid prò suo libito, non intelligi limitasse suam intentionem solùm ad vsus honestos, & pios, sed potiùs abstulisse (quantùm erat ex parte sua) totum impedimentum, vt vsus ille non esset contra votum paupertatis ob defectum licentiæ, atquè ideò accipientem ab ipso non teneri restituere.

tuere. Ità cum illo tenet etiam Diana Coordinatus *tom.8.tract.7. ref.*58. *num.*4. deindè *numero* 5. addit, quod subdit idem de Lugo *loc.cit.num.* 143. nempè prò praxi posse frequentèr excusari ab onere restituendi etiam retentà sententià contrarià, quia licèt ab initio donatio fuisset inualida proptèr malum titulum, nunc tamen potest idem, qui dedit, & aliundè habens licentiam ad vsus licitos, potest inquam, mutato animo donare illud eidem fæminæ, verbi gratia, quia est pauper, aut ob alium titulum honestum, ad quam donationem licitam habet sufficientem facultatem.

5 Vlteriùs noto Magistrum Nicolaum Brauo *in tractatu Monastico, cap.* 20. *num.* 4. distinguere duo genera rerum, scilicèt earum, quæ procedunt ab ipsa communitate, & sunt, & vocantur propriæ domus, vtpotè ab eius iuribus vt sic profectæ; & earum quæ proficiscuntur ex peculiari ratione huius, vel illius, & vocantur eleemosynæ, aut depositum illorum singularium, & hoc non ob aliquod dominium, aut proprietatis possessionem (absit) sed proptèr permissionem Prælati, & destinationem ad vsus singularis personæ, dùm ex Missis, aut Concionibus, vel scriptis, vel donatiuis consanguineorum, alijsque modis cum respectu ad eam conceduntur ex consensu, & licentia Prælati, & ab eius nutu dependentes in vsu, cuius nequè in consumptibilibus dominus est Monachus, taliaque mobilia, aut pecuniæ, nequè in ratiocinijs, nequè in sumptibus domus admiscentur, & quodammodò extranea, & adiectiua reputantur, vsitatà differentià in praxi, & notorio discrimine æstimata à Petro de Ledesma, qui rem tetigit 2. *part. summ. tract. de statib. cap.* 4. *de statu Religiosorum, pag.* mihi 66. *columna secunda.*

6 His suppositis, posteà *num.* 12. & 13. quantùm ad obligationem restituendi Religiosorum differentiam esse censet, vt omninò illa constringat respectu bonorum prioris generis modo possibili Monacho ad satisfaciendum, quod indè corraserit, vel læserit, ex bonis posterioris generis, priuando se illis, aut abstinendo ab aliàs sibi concessis &c. in alijs verò bonis secundi generis, vt non vrgeat restitutio eo modo. Quod quo pacto ità sentiam, sic declaro.

Et quidèm ità esse mihi persuadeo ex differentià admisà intèr illa duo genera admissa bonorum, quam loco citato recognouit Le-

Ledesma, & quam reuerà videmus practicari. Nàm si quis Abbas, aut Prior, vel Minister rerum temporalium in reddendis ratiocinijs deficiat, cogitur auctoritate Superioris, & Ordinis satisfacere, & restituere defectum, & de eleemosynis iliis, aut deposito sibi peculiaritèr permisso, nec ignorat Religio, totum illud ad dominium domus, & Communitatis læsæ pertinere; Ergò considerat illud quoadmodò alienum, & indebitum domui, cui per illud satisfactum esse vult. Similitèr si Religiosus malè expendat eas eleemosynas, aut peculiare depositum, etiamsi quoad mores, si Prælatus sciat, corrigatur, reprehendaturque, tamen de restitutione expensi, nec ad ratiocinium venitur, nec curatur, tamquàm si sibi soli damnum intulerit, quæ signa sunt voluntatis Religionis, aut Superioris, non sanè consentientis in peccatum, aut potentis suo consensu, aut licentià illud excusare, sed remittentis obligationem restitutionis, quam non reputat iniuriosam domui, quia restitutio adhùc impropria, qualis est omnis facta à Religioso, qui nunquàm in rigore de suo restituit, in hoc secundo genere bonorum, adhùc est magìs impossibilis; nàm etsì per impossibile ea fieret, satìs erat restitutionem fieri eisdem eleemosynis, & peculiari deposito, & tamen manebat adhùc in conditione bonorum secundi generis, in quibus Religio, aut Superiores nunquàm ab inferioribus expetunt satisfactionem, aut restitutionem, sed quasi admittunt, vt ij, qui seipsos defraudauerunt patiantur damnum & peccati, & amissionis, absquè aliquo alio. Hucusquè Magister Brauo.



IN-

INTERROGATIO XXXIII.

An dentur monita Monialibus specialiter proponenda ab illarum Episcopis?

CVm essem Mantuæ recepi ex Venetijs ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Ioanne de Andreis epistolam, quæ intèr cætera continebat sequentia: Nescio an Paternitas Vestra intellexerit meam electionem in Episcopum Ciuitatis Lesinæ, quapropter cùm per multos annos meas confessiones audiuerit, nunc accedo, vt prò bona gubernatione spirituali Monialium meæ curæ mandatarum, aliqua singularia monita ab illis seruanda mihi scribat hùc, non enim nisi post mensem discedam &c. Hanc epistolam accepi per manus cuiusdam Reuerendi, quem dictus Episcopus mittebat Romam, & coram illo secretè legi, à quo interrogatus si quid haberem ad respondendum, vel iubendum dixi, quòd prò Dominatione sua tantùm respondeo.

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Gratias ago Dominationi vestræ, cui prosperum iter à Deo precor, statimque per Postam responsum dabo eidem Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino.

Responsio latè scripta.

2 Gratulor, & quidèm summoperè gaudeo, & complaceo proptèr nuncium, quod dignata est Dominatio Sua Illustrissima, & Reuerendissima mihi scribere de deputatione sua ad regimen Ecclesiæ Lesinensis, & precor, precaborque semper Diuinam Bonitatem, vt ad maiorem suæ Ecclesiæ profectum continuè assistat. Sic mihi persuadeo fore euenturum præsertìm quoad Moniales, prò quarum spirituali eruditione vt aliqua sibi confidentèr suggeram à me exquirit. Quarè vt potiùs petitioni suæ obediam, quàm aliâ de causa, nonnulla dicam ex traditis ab Ascanio Tamburino ad rem nostram *de Iure Abbatissar.*, & Mo-

Monialium, *disput.* 10. *quæst.* 2.

3 *Primò*: Humilis sit Monialis coràm Deo, ad istum recurrens, vt contrà inordinatos naturæ motus quoscunquè auxilium præstet iuxtà monitum Thomæ de Kempis *serm.* 5. *ad Fratres*, *num.* 5. dicentis: *Hìc non pugnatur armis, nec ferro, sed patientiâ, oratione, & humilitate*.

4 *Secundò*: Oculos Monialis custodiat, vndè Sanctus Isidorus *lib.* 2. *de summo bono*, *cap.* 39. ait: *Oculus est principium fornicationis*; & Hieremiæ *cap.* 9. habemus quòd *intrauit mors per fenestras vestras*.

5 *Tertiò*: Aures ad vana, præcipuè turpia, & obscæna semper clausas habeat, audiens tamen Ecclesiast. *cap.* 28. dictum: *sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire*.

6 *Quartò*: Tactus tota promptitudine cohibendus est à Christi sponsis, asserit enim Climacus *grad.* 5. quòd *fit nonnunquam, vt ex solo tactu corpus inquinetur, nihil quippè isto sensu grauiùs, nihil periculosius*.

7 *Quintò*: Vestem, seù Habitum solitum omnium Monialium nulla debet in propria persona ornatiorem deferre, nàm Concilium Carthaginense IV. relatum à Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 3. sanciuit, Sanctimonialem vti vestibus suæ professioni aptis; quarè Nauarr. *cap.* 23. *num.* 18. obseruat, quòd si Monialis inducat nouitatem in se ornando ad libidinem prouocantem peccat mortalitèr, venialitèr verò si id faciat ex vanitate, vel ad ostendendam pulchritudinem, & elegantem corporis formam, & habitudinem.

8 *Sextò*: Comam nutrire Monialibus videtur prohibitum proptèr verba Clementinæ, *Attendentes* ibi: *comatis, & cornutis crinibus, scacatis, & virgatis caputiolis non vtantur*. Sed quamuis per illa verba *cornutis crinibus* ideſt tortis *crinibus* videatur solùm Monialibus prohiberi fucata comptio illa crinium, non verò simpliciter habere comam, si honestè, & occultè deferatur, nihilominus videtur dicendum glossam oppositum sentire, & fateri esse consuetudine receptum, vt Moniales tondeantur, & deformato capite Deo viuant, potiùs quàm crines poliendo humani generis hosti deseruiant, & idem probant Panormitan. *ibi*, *num.* 11. argum. *cap. duò sunt* 12. *quæst.* 1. & Abbasin. *cap. si quis, de vita, & honest. Clericor.*

9 *Sep-*

9 *Septimò*: Monialis vitare debet occasiones maculandi castitatem, quod præcipuè præstabit fugiendo à cratibus, nam per huiusmodi fugam conseruatur castitas, sicuti alia vitia vincuntur resistendo, vndè S. Augustinus *lib. de honest. mulier. cap.* 2. concludit dicendo, *nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere*; nàm victoria contrà peccatum libidinis videtur in fuga consistere, contra verò alia peccata in resistentia, proùt S. Thomas *in epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 6. *lect.* 3. ait: *Notandum, quòd cætera vitia vincuntur resistendo.*

10 *Octauò:* Moniales declinent à vanis occasionibus baccanalium, & recreationum, nàm tenentur vitare, præsertim nè virorum habitu vtantur, nec armis se cingant, ex Decreto speciali Sacræ Congregationis *in vnâ Ferrarien.* 27. *Aprilis*, 1604. Barbosa *de Iure Ecclef. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 57.

11 *Nonò:* Monialis frequentem faciat considerationem mortis, & aliorum nouissimorum, nàm S. Gregorius Magnus 16. *Moral. cap.* 31. testatur quòd *Nihil ad edomandum desideriorum carnalium appetitum sic iuuat, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset;* & in mente repositum est illud S. Isidori *de Summo Bono* dictum: *Sicùt clauus clauum expellit, ità sæpè recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.*

12 *Decimò*: Sollicitum, & cautum Patrem Spiritualem habeat Monialis, & illi vniuersas cogitationes in corde nascentes sincerè aperiat, *illicò namquè, vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit*, docet Cassianus *Collat.* 2. *cap.* 10.

13 *Vndecimò*: Monialis custodiat cellam, manens in ea benè occupata, quia *omnium vitiorum mater est ociositas*, vt scripsit Sanctus Hieronymus *ad Eustochium*.

14 Igitur prædictis medijs, animæ Christi Sponsæ studeant Deo omni tempore debitam exhibere seruitutem.



INTERROGATIO XXXIV.

An ad restitutionem teneantur deputati ad aliquam Custodiam, si non impediant damna, siuè sint Magistratus, siuè alij.

DIscessit ex Ingolstadio Baro de Frimen ducendi causa Viennam ad Curiam Imperij filium suum, commendata custodia domus suæ Petro consobrino suo, qui post decem dies homicidium patrauit, quapropter coactus fugere, nè carceraretur, delegauit Paulo amico suo custodiam omnium, quæ habebat, vnà cum clauibus domus dicti Baronis, quam interim latrones expoliauerunt. Post mensem mortuus est Viennæ præfatus Baro, ideò ad Patriam reuersus illius Filius inuenit paternam domum omnibus supellectilibus euacuatam. Quò fugitiuus abierit, non inueniebatur; quarè dictus Filius à quibusdam parentibus eiusdem homicidæ sibi damna resarciri petebat, tamquàm obligatis prò illo, cui domus custodia à patre suo discedere volente fuerat delegata. Responderunt dicti parentes, se tantùm scire, quòd antequàm homicida fugeret, custodiam omnium, quæ habebat demandauit Paulo amico suo nullatenùs tamen nec eidem, nec ipsis in parentela coniuncto, adeoquè contrà Paulum, si forsan deliquerat in custodia, erat iuridicè agendum. Ab vno ex dictis parentibus in Villa dicta Sarnonicus narrata mihi fuit prædicta Historia cum interrogatione, an iudicarem illum ad aliquid teneri filio Baronis, tùm de Iure, tùm in conscientia, stante quòd custodia rerum furatarum ipsius patris fuerat commissa Petro, cuius bona confiscata fuere ex causa homicidij?

Responsio oretenùs data cursìm:

1 Plura esse examinanda in dictis mihi expositis video:

Primò: An suppositâ demandatione custodiæ factâ à Barone Petro cognato suo, iste teneatur ad damna, si sequantur in ipsi demandatis?

Secundò: An dictus cognatus potuerit in Paulum sibi ami-

cum transferre obligationem custodiæ?

Tertiò: An parentes Petri ad aliquid teneantur prò illo ratione homicidij?

Quartò: An Filius Baronis habeat ius exigendi refectionem damnorum de bonis confiscatis Petri, aut de alijs Pauli?

2 Ad *primum* dico, Petrum deputatum custodem domus Baronis teneri (*si aliud non obstet*) ad damna, hoc enim procedit de omnibus habentibus in custodiam res alicuius ipsis commendatas. Dixi, *si aliud non obstet*, quia in præsenti censeo obstare communi obligationi Custodum, quòd cùm debuerit fugere, certè non potuit ad curam assistere, vt seipsum necessariò priùs custodiret, & quandò acceptauit obligationem custodiendi, tacitè intelligebatur secluso casu impossibilitatis, seù contingentiæ impedientis munus delegatum implere, vndè Petrus in tali statu remanet absolutus ab obligatione resarciendi damna euenta Baroni, nàm ipse delegatus fecit, quod potuit per subdelegationem custodiæ sibi impossibilis.

3 Ad *secundum* dico, potuisse Petrum delegatum ad custodiendum res sibi commendatas subdelegare amicum in sui longa absentia, sic enim egit negotium Baronis omni meliori modo, quo potuit prò custodia rerum sibi demandata; proindè Petrus nequit culpari, quòd defecerit in aliquo, prò quo sit mulctandus.

4 Ad *tertium* dico, quòd hæredes homicidæ, & etiam Fiscus, si bona homicidæ fuerint publicata, tenentur soluere damna, & alia debita.

5 Ad *quartum* dico, Filium Baronis defuncti nihil habere sibi debitum inter bona confiscata Petri homicidæ, nàm iste non deliquit in munere custodiæ sibi delegatæ à Barone, stante quòd talem custodiam, vt fugeret subdelegauit alteri, quam subdelegationem si non fecisset, in officio Custodis omninò defecisset. Igitur Filius defuncti solùm contrà subdelegatum poterit iuridicè agere, an culpabilitèr Custodis obligationem in ipsum translatam non impleuerit, adeoquè ad damna teneatur.

6 Hæc omnia verbotenùs à me tradita probabo, & firmabo in scriptis ab Authoribus edocta.

Reſponſio latè ſcripta.

7 Ille, cui dominus ſpecialem curam cuſtodiendi bona ſua commiſit, tenetur ad reſtitutionem, ſi ex culpa ſua fuerint furata, vel deperdita, & qua ratione poſſit contrarium affirmari, proteſtatur ſe non videre Pontius *in curſu Theolog. diſp. 52. quæſt. 9. concl. 2. num. 65.* & huic ſententiæ Pontij dicit Diana Coordinat. *tom. 8. tract. 7. reſ. 33. num. 5.* ſe libenter aſſentiri, eſtque communis.

8 Sic teneretur ad reſtitutionem famulus, qui comitando dominum extrà domum videret furem ei ſurripere crumenam, & non impediret, quia tunc eſt quaſi cuſtos domini, vt eum defendat. Cardin. de Lugo *de iuſti. tom. 2. diſp. 19. ſect. 3. num. 105.*

9 Item teneretur famulus, cui dominus dedit clauem alicuius loci, vt indè aliquid extrahat, ſi permittat aliquid de dicto loco furari, quia prò tunc cuſtodia eius loci ei demandatur. Diana *vbi ſuprà, num. 2.* & Rebell. *part. 1. de obligat. iuſtitiæ, lib. 2. quæſt. 14. ſect. 8. num. 62.*

10 Eſt tamen notandum, quòd famulis eſt ſemper commiſſa aliqua domus cuſtodia, licet non ſpecialitèr, propterea tenentur ad reſtitutionem rerum furaturum, nam ſic habet comunis hominum ſenſus, ſi in vigilantia deficiant. Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtitutione, cap. 1. num. 224.* & Sot. *lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 7. num. 3.*

Hinc infert Diana *loc. cit. num. 3. in fine;* quòd ſi famulus videret alium famulum ex rebus domeſticis congregare, vt noctu cum illis fugiat, & non impediret, teneretur ad reſtitutionem, quia tunc eſſet quaſi furtum ab extraneis factum.

11 Nunc ad caſum noſtrum eſt dicendum, quòd Petrus, cui Baro cuſtodiam domus ſuæ commiſerat volens à patria diſcedere, certè teneretur ad damna Baroni ſequuta ex culpa Cuſtodis, ſed iſtum nullatenùs deliquiſſe cenſeo, quia benè cuſtodiuit ſibi commiſſa per ſubcommiſſionem translatam in Paulum, cùm ipſe Petrus eſſet coactus ſibi cauere per fugam, vndè deobligatus remanebat à perſonali ſibi facta impoſſibili cuſtodia, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, ſeù ad impoſſibile nemo tenetur, *l. ſi quis in graui, in princip.* vbi Bart. *ff. ad Sylan. & Inſtit. de hæredib.* *inſti-*

institutuen. & *cap. nemo potest, de reg. Iur. in 6.*

Quòd autem Petro impossibile esset personalitèr assistere ad custodiam tamquàm si esset carceratus, apertè firmatur à Cyriaco *in controuersijs forensibus tom.* 1. *controuers.* 172. *num.* 47. *& seq.* asserente, quòd carceratus non solùm dicitur, qui sub clauibus, & claustro detinetur, sed etiam qui discedere nequit ad sui libitum, *l. succurritur* 9. & *l. in eadem*, 10. *ff. ex quibus causis maiores*; & talis erat Petrus in casu nostro fugitiuus, nè sub clauibus carceraretur, iàm tamen carceratus per hoc, quòd ad placitum suum vbiquè ire non valeret.

12 Est quoquè addendum fauore Petri quod dicunt Bordonus *resol.* 30. *num.* 8. Noster Anton. à Spir. Sanct. *in Director. Regularium, tract.* 3. *disp.* 6. *nu.* 1597. Noster Andr. à Matre Dei *in Cursu Theologiæ Moral. tom.* 4. *tract.* 16. *de Hor. Canon. cap.* 1. *n.* 6. & alij, nempè reputari impossibile, quod commodè fieri non potest, proùt clarè patet non potuisse Petrum fugere coactum, personalitèr attendere custodiæ rerum sibi demandatæ à domino Barone, qui rationabilitèr inuitus esse non potuit, totam obligationem custodiæ fuisse à Petro translatam in Paulum, & quidem de consensu saltèm tacito dicti domini, qui consensus idem operatur acsì esset expressus, eò ipsò, quòd includitur in naturà expressi, vt deducit Barbosa *Axiom.* 218. *num.* 2. ex Mari. Antonin. *var. resol. lib.* 2. *res.* 57. *num.* 72. & quandò vtrumquè procedit ex potentia eiusdem causæ, vt declarauit Rota *decis.* 608. *num.* 2. apud Farinacium *part.* 2. *recent.* eamdem autem causam, scilicèt custodiæ habemus in casu nostro.

13 Igitur Filio Baronis defuncti nulla competit iuridica actio contrà Petrum, nequè contrà illius parentes ex motiuo alicuius damni eiusdem Baronis, quia Petrus à se abdicauerat Custodiendi obligationem ab ipso translatam in Paulum ex dicto consensu Baronis, sicque patet responsio ad *primum*, & *secundum* quæsitum mihi expositum *suprà, à num.* 1.

14 Ad *tertium* & *quartum* de quibus interrogor, breuis est responsio, quia certum est, quòd hæredes homicidæ, & etiam Fiscus si bona homicidæ fuerint publicata, tenentur soluere damna, & alia debita. Sanch. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *à num.* 74. Aragon. *in* 2. 2. *Diui Thom. quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 1. & alij. At in facto nostro Petrus homicida nullum debitum habebat ergà Baronem.

vel

vel eius Filium, postquàm in eo cessauit obligatio custodiæ translatæ in Paulum, qui si deliquit in suscepto officio Custodis, isti incumbit damnorum restitutio, adeoquè contrà solum Paulum Filius Baronis habet actionem tùm in Iure, tùm in conscientia, per tradita *suprà*, *à numero* 7.

INTERROGATIO XXXV.

An depositarius rerum Caij, si contingat esse confiscandas, possit saltèm aliquas fauore eiusdem Caij occultare?

TRanseunte me per Parmam, ductus ad me fuit quidam Paulus, qui debitis opressus fugerat ex Mutina patria sua, depositatis suppellectilibus suis apud Petrum amicum suum, vt eas ipsi custodiret. Dicto debitore absente à domo sua, illius creditor curauit sequestrari quæ habebat, vt ex illis sibi debitum solueretur. Censuit Petrus seruitium facere debitori, occultando nonnulla, nè sub sequestro caderent. Petit debitor à suo depositario, vt ipsi restituat singula, quæ absconderat, at restituere recusat, allegans se non posse, quia à Confessario suo, cui à se factum narrauit, fuit ei dictum non potuisse talia abscondere. Interrogauit me ipse Petrus, quid facere deberet de absconsis à se, cui respondi vt sequitur.

Responsio oretenùs data cursim.

1 Peto tempus ad in scriptis dandam solutionem. Intesim assero esse attendendam necessitatem debitoris, quia si absconsa sunt ipsi necessaria ad statum, ac victum suum, fuerunt ritè non patefacta, & ad circumstantiam istam debuisset Confessarius reflectere, antequàm Petrum pænitentem suum condemnaret, quod malè fecerit occultando. Cùm igitur mihi supponatur talem circumstantiam in præsenti subsistere, propterea debet Petrus restituere Paulo vepotè domino omnia, quæ apud se celata retinet. Hæc dixerim cursim, quæ per scripturam, quam ex Mediolano transmittam, probata dabo.

Res-

Responsio latè scripta.

2 Omittendo plura, quæ de sequestro possent dici, referam breuitèr tantum ea, quæ ad dubium nostrum spectant. Dico igitur, Petrum in depositum habentem supellectiles Pauli debitoris potuisse aliquas abscondere, nè intèr sequestrandas describerentur, stante quòd ipsi necessariæ erant ad eius victum iuxtà ipsius statum.

Hoc adeò verum est, vt si iàm sequestratæ fuissent, posset Paulus non stare sequestro, sed sibi accipere necessaria prò suis alimentis, & ad se conseruandum in statu suo, proùt expresſè docet per singularem, notandam, & amplectendam sententiam Guido Papa *in suis Decisionibus*, *Decision.* 81. quæ incipit, *Si debitor*, in fine.

3 Confirmo prædicta per legem *in l. Qui bonis*, *ff. de cessione bonorum*, in qua de debitore etiam decocto, qui bona sua cessit, dicitur: *Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis*; nomine autem *Alimentorum* intelliguntur cibaria prò victu, vestitus, habitatio, & ea, sinè quibus quis viuere non potest, *l. legatis*, cum *l. fin. ff. de aliment. & cibar. leg.* Surd. *de aliment. tit. 4. q. 1. n. 1. & 4. per tot.* Brunor. à Sole *in locis communib. verb. Alimenta*, *num. 9.* Sic appellatione *Alimentorum* continentur lectus, & culcitra, *l. stratum*, & *l. quos nos*, vbi gloss. *verb. viuere*, *ff. de verbor. signif.* Roland. à Valle *conf. 22. n. 6.* Etiam vestitus venit appellatione *Alimentorum* in materia fauorabili, *d. l. legatis*, *ff. de alim. & cibar.* Roland. *d. conf. 22. n. 4.* Item veniunt *Alimentorum* appellatione calceamenta, medicinæ, ligna, & alia homini necessaria secundùm eius statum, & ità cum pluribus notat Barbosa *de Appellat. appellatiuo 15. à num. 7.*

Et quòd decoctus possit sibi retinere prò alimentis est sententia communis, proùt expresſè testatur N. Gabriel à S. Vincentio *de Iustitia, & Iure, disp. 6. quæst. 16. §. 4. num. 547.*

4 Ex dictis sequitur esse concludendum, potuisse, immò debuisse Confessarium in casu nostro dicere Petro depositario Pauli debitoris, teneri restituere isti vtpotè domino abscondita ab illo nè sequestrarentur, supposita necessitate se alimentandi cum illis.

IN-

INTERROGATIO XXXVI.

An Iudex possit aliquandò damnare innocentem ad mortem; & an testamentum in foro Ciuili nullum, saltem valeat in foro animæ?

CONtigit me esse Patauij occupatum in cursu Concionum quotidianarum totius Quadragesimæ in Ecclesia Sanctæ Luciæ, & quia in vna mea Concione semel dixeram non posse Iudicem ad mortem damnare Titium, licèt secundùm allegata, & probata tamquàm homicidam Caij, si ipse Iudex certò sciat delinquentem fuisse Sempronium, non verò Titium, sed teneri prò viribus agere, vt iste liberetur, vel si non possit, teneri potiùs deserere officium; propterea contrà hoc meum dictum sequenti die in publica platea fuit excitata quæstio inter aliquos Iurisperitos, quorum vnus post duos dies accessit ad me requirens, an haberem Authores prò à me dicta sententia, cùm nullum in concione citauerim. Iste qui me interrogabat etiam instabat, vt si aliquem Authorem scirem nominare, ei nominarem, quia sponsionem fecerat cum alio mordicùs sustinente, quòd nemo talem opinionem vnquam docuerit, atquè ideò si à me intellexisset quisnam illam teneat, mihi sponsionis lucrum offerebat, quæ sponsio erat duorum aureorum. Deindè petijt à me, an testamentum nullum Iure Ciuili, sit etiam tale in conscientia?

Responsio oretenùs data cursim.

1 Proprium esse debet Concionatoris posse authenticè probare quæcunquè populis prædicat, & ità me gerere studui, nec mihi plùs quàm semèl occasio defuit, numquàm tamen munus aliquod volui, sicutì nec in præsenti sponsionis suæ oblatum mihi lucrum accipiam, quod sinè dubio Dominatio sua reportabit. Obstupesco certè dari Iurisperitum, qui meum dictum à nemine edoceri putet. Vt ergò inseruiam, seù respondeam in præsenti, assero non paucos asserti mei me habere defensores, quos nominatìm in scriptis dabo die proximo Sabbati, in quo à concione vacabo, si di-

si dignabitur ad me reuerti in sero talis diei. Responsum verò quoad testamentum dabo alio die.

Responsio latè scripta.

2 Quia in omnibus quæstionibus agendum est cum debitis limitationibus, non autem semper sic absolutè resoluere siuè prò parte affirmatiua, siuè prò negatiua; propterea contrà Iurisperitum censentem à nemine doceri, posse Iudicem in quæstione nostra iudicare non attentis allegatis, & probatis per testes, dico quòd immò tenetur, & docetur communitèr non posse morti adiudicare aliquem, de quo certus est etiam per priuatam scientiam illum esse innocentem.

3 Igitur vidit fortasse dictus Iurisperitus Barbosam *Axiomat.* 131. *num.* 2. vbi plùs quàm quadraginta Authores refert asserentes, debere Iudicem stare allegatis, & probatis, non attenta propria priuata scientia, per quam nouit innocentiam conuicti per testes; sed debuisset vlteriùs legere eumdem Barbosam *loco citato, num.* 3. vbi subdit, quòd dictorum Authorum opiniones non procedunt, sed limitandæ sunt: *Primò*, in Iudice, qui est suprà leges: *Secundò*, quandò conscientia est informata à notorio: *Tertiò*, in Criminalibus; vbi de pæna corporali agitur. Sic sistendo in hac tertia limitatione, cùm euidens sit, nullam pænam corporalem esse maiorem pæna mortis, concludendum est cum Barbosa, Iudicem teneri non damnare ad eam aliquem etiam per testes conuictum illa dignum, sed in conscientia Iudicis cognitum innocentem. Non est igitur verum, à nullo doceri sententiam à me in concione mea relatam, quam insupèr confirmo cum Syluio *in* 2. 2. *D. Thom. quæst.* 66. *art.* 2. *concl.* 2. Petro Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 161. Maldero *in* 2. 2. *tract.* 6. *cap.* 1. *dub.* 13. Lessio *de iusti. & iure, lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 10. *num.* 78. & alijs. Ratio est, quia directè, & ex intentione occidere innocentem est per se malum, & aduersatur tùm Charitati, tùm iustitiæ.

4 Hinc sequitur dicendum, debere dictum Iudicem auertere accusatorem ab accusatione, & curare, vt testes per viros prudentes corrigantur, & moneantur de falsitate; & si nolint desistere, debere litem protrahere, testes diligenter examinare ad deprehendendum indicium variationis, & falsitatis. Quòd si dicta

non iuuant, tunc Iudex debet curare, vt carcer aperiatur, locumque ad fugam detur reo. Si nec hoc suffragatur, & partes instent prò sententia, dicat se habere difficultatem, & eundum esse ad Superiorem, quem ipse secretè informet, & personam testit induat. Iudex verò Superior, etiamsi Ius palàm non faueat, mortis, & mutilationis pœnam suprema sua authoritate relaxet: Si autem Iudex ordinarius nullam adinueniat viam liberandi innocentem à morte, debet officium deponere, etiam cum periculo vitæ. Ità docent Doctores relati *numero antecedenti, in fine*, qui hanc doctrinam extendunt etiam ad Ministrum iustitiæ, qui huiusmodi sententiam exequi non potest contrà innocentem.

Responsio ad Interrogationem de Testamento.

5 Certum est, quòd in confectione Testamenti seruanda sunt ea, quæ à Iure Ciuili statuta habentur, aliàs inualidum erit in foro externo. Dubitari tamen potest, an sit quoquè nullum in foro conscientiæ?

Respondeo esse notandum, eamdem difficultatem procedere, tùm de hærede instituto in minus solemni testamento, tùm de legatario nominato in illo. Licèt ergo testamentum in foro Ciuili erit nullum, non propterea erit omninò tale in foro conscientiæ, sed qui primus occupauerit hæreditatem, vel legata relicta in tali testamento, de quo constat non interuenisse fraudem, potest accepta possidere donèc condemnetur, & post condemnationem tenebitur restituere hæredi venienti ab intestato, qui si nesciat testamenti nullitatem, quam tamen sciat possessor, iste non tenetur illi reuelare. Ita docent Sotus *lib. 4. de iusti. quæs. 5. art. 1.* Ludouic. Lopez *1. part. Instruct. c. 14.* Palaci. *in Sum. verb. Hæreditas*, Enriquez, & alij apud Sanchez *Opusculor. Moralium, tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 14. num. 5.* Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, & sic possidens non tenetur restituere; ergo quando testamentum est minus solemne, cùm valdè dubium sit vter habeat melius ius in foro conscientiæ, scilicèt an hæres ab intestato, vel an institutus in minus solemni testamento, & prò vtroquè sint opiniones valdè probabiles qui priùs occupauerit bona, iuuabitur possessione, & melius ius habebit in foro conscientiæ. Hæc sententia vocatur probabilior omni alia à Sanchez

chez *loco citato*, sed *numero 6.*

6 Docent igitur aliqui, dictum testamentum minùs solemne, esse validum in foro conscientiæ, quandò constat eam fuisse testatoris voluntatem, & nullam fraudem interuenisse, vndè hæres, & legatarius in tali testamento relictus potest tuta conscientia capere hæreditatem, vel legatum, & si hæres ab intestato caperet hæreditatem, licèt in foro externo sibi applicaretur, teneretur in conscientia restituere hæredi relicto in tali testamento. Probatur *ex cap. cùm omnes, de testam.* vbi consultus Pontifex de vsu Episcopatus Hostiensis, nempè quòd non implebatur tale testamentum minùs solemne, respondit eum vsum non esse seruandum, quia est contrà legem Diuinam &c. Sic tenent Panormit. *d. cap. cùm omnes, num. 10. & 15.* & *cap. plerique, de immunit. Eccles.* & plures alij, quos latè refert Sanchez *vbi suprà, num. 2.* Verùm *respondet numero 17.* Papam vtpotè Dominum temporalem Episcopatus Hostiensis annullasse talem vsum, seù consuetudinem; & quòd dixerit esse contrà ius Diuinum, dixit vt Doctor particularis.

Alij verò docent, dictum testamentum minùs solemne esse nullum etiam in foro conscientiæ, adeoquè si quis virtute talis testamenti aliquid accepit, tenetur in conscientia restituere. Probatur, quia Princeps potest statuere, vt talis modus seruetur in translatione dominij, aliàs non transferatur, & sic per legem istam facit, *l. Hac consultissima, C. de testam.* his verbis: *vbi numerus testium non est iustus, idest completus, & testamentum est minus solemne, nolumus voluntatem testatoris impleri.* Item, quia sententia Iudicis non innitens falsæ præsumptioni, obligat in conscientia; sed cessante omni suspicione fraudis, & constante veritate, Iudex iudicabit testamentum minùs solemne nullum esse; ergo etiam in conscientia nullum esse. Item, quia solemnitas testamenti non est solùm probatoria, sed est de eius substantia, & essentia, qua deficiente est omninò nullum testamentum. Ità tenent Baldus, Fulgosius, Paulus de Castro, Cynus, Garcia, & plures alij, quos refert, sed non sequitur Sanchez *vbi suprà, num. 4.* Deindè *numero 17.* respondet argumentis duarum sententiarum prædictarum.

Ad primum dicit, Papam vtpotè dominum illius Episcopatus Hostiensis temporalem, annulasse in eo illam consuetudi-

nem, non verò in alijs; & quod dixit esse contrà ius Diuinum; dixit vt Doctor.

Ad secundum respondet cum Couarruuia *cap. cùm omnes de test.* quòd lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia; secùs ob defectum solemnitatis essentialis.

INTERROGATIO XXXVII.

An semper liceat consulere minus malum?

CVm essem receptus hospitio in loco dicto Brentonico propè Veronam, inueni duos Presbyteros inter se disputantes, an regula generalis sit, esse semper licitum consulere minus malum illi, qui maius malum est paratus inferre alicui. Vnus ex illis de hoc interrogatus fuerat in examine in ordine ad Confessiones audiendas in Tridentina Diæcesi, respondit affirmatiuè, statimque fuit exclusus à Celsissimo Domino Principe, & Episcopo cum iussione, vt meliùs studeret, reuersurus ad examen alia vice, & interim accederet ad me, vt veram responsionem disceret, deindè in nouo examine repeteret quidquid didicerit de tali interrogatione. Iste me nouerat Tridenti, sicque obediens Celsissimo Domino venit, præsertìm requirens an dictum suum sustinere posset saltem aliqualitèr illud explicando, ità quòd non malè respondisse valeret se tueri; & vlteriùs me interrogauit, quid sit dicendum in tali quæsito, ipse enim libros non habebat ad studendum, nisi Busembaum, & Toletum, nec propter suam paupertatem emere alios poterat. Insuper me rogauit, vt ipsum adiuuarem in nouo examine, quandoquidem inter Examinatores (vt me honoraret tamquàm Concionatorem annualem in Cathedrali Ecclesia) Celsissimus, & Reuerendissimus Dominus Princeps, & Episcopus Clementissimus Dominus Ioseph Victorius de Albertis semper me introducebat.

***
***

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Domine mi ad exercendum Confessarij munus teneris incumbere studio doctrinæ moralis, quæ est dubiorum mare magnum, ideò si libris cares, nec ad emendum habes, non desunt hìc in toto Tridento Bibliothecæ Regularium, ac Doctorum, in quibus poteris frequentèr te recipere ad studendum. Supposito nunc quòd ad nouum examen riuerti debeas, & à me requiras qualitèr possis te saluare, quòd non malè dixeris in alio examine, esse semper licitum consulere minus malum, nè committatur maius, declarare te debes, te intellexisse de illo, qui determinatus est furari v. g. centum à Petro, si tunc consilium detur furari volenti, vt solùm quinquaginta ipsi surripiat, sicque in tali, vel simili casu intelligebam esse semper licitum consulere minus malum. Qualitèr posteà debeas plenè respondere quid sit dicendum de hac materia dabo tibi in scriptis.

Responsio latè scripta.

2 Dato casu, quòd Caius sit determinatus damnificare siuè Petrum, siuè Paulum per furtum æqualis quantitatis, sed indeterminatus cui surripiat, Ioannes autem consilium det Caio, vt surripiat Paulo, non verò Petro, quia iste est amicus ipsius consulentis, licitè consulit. Ratio est, quia amicus debet impedire, nè damnum inferatur amico, potiùs quàm non amico, qui rationabilitèr conqueri non potest, quòd voluntate conditionata Ioannes voluerit potiùs damnum non amici, quàm amici. Ità cum Cardinali de Lugo docet Pontius *in cur. Theol. disp. 52. quæst. 9. conclus. 2. num. 56.* sicque consulens ad nullam tenebitur restitutionem, neque peccaret. Idem *ibidem*.

3 Si verò Caius esset determinatus furari vel centum à Petro, vel quinquaginta à Paulo, & Ioannes consilium det Caio, vt accipiat, quod minus est, Ioannes non tenebitur ad restitutionem, quia eius consilium non esset, nisi significatio, quòd minus malum est furari minus; & hoc non potest esse illicitum. Et quamuis in dicto consilio videatur inclusa consulentis voluntas, vt furtum fiat, tamen talis voluntas non videtur

in iusta

iniusta, quia non est nisi conditionata, scilicèt si furtum sit faciendum, fiat potiùs surripiendo minus Paulo, cui sic nulla sit iniuria, nàm in consulendo est potiùs prospiciendum ad honorem Dei, quàm ad emolumentum Pauli. Sic tenet idem Pontius *vbi suprà*.

4 Furi determinato furari multum à Petro, mihi non licet dicere eidem furi noli hoc furtum facere, sed potiùs surripe minus, seù parùm Paulo, à quo furari fur non cogitabat. Ratio autem, cur tale consilium dare non possim sinè obligatione restituendi Paulo, quamuis furtum minus consulam, est, quia essem causa absolutè furandi ab illo, cui nullum furtum erat aliàs faciendum, si sic damnum, ac iniuriam inferrem Paulo. Ità Cardin. de Lugo apud Dianam Coordinatum *tom. 8. tract. 7. ref. 30. num. 2.*

5 Cæterùm non obstantibus prædictis non desunt aliqui tenentes, quòd si fur cogitet damnum inferre maius Petro, vel minus Paulo, resolutus tamen alterutri inferre, teneretur de damno, qui consuleret, aut rogaret, vt damnum inferatur Paulo, licet sit minus. Ratio est, quia iniuriam faceret Paulo vtpotè ius habenti, vt res sua seruetur illæsa quamuis minoris valoris, sicutì ius habet Petrus, vt seruetur res sua pretij maioris. Sic notat Diana *loc. cit. num. 4. & 5.*

At si quis solùm in genere diceret esse potiùs facienda mala minora, quàm maiora, ex quo dicto fur se determinat ad surripiendum minùs à Paulo, quàm à Petro, tunc ad nullam teneretur restitutionem, quia nullam fecit iniuriam Paulo, sed tantùm veram doctrinam rogatus explicuit furi. Ità Ioannes Wigers *de iusti. tract. 3. cap. 2. dub. 4. num. 26. cum seqq.* & alij à se relati.



IN-

INTERROGATIO XXXVIII.

An contrahentes modo ambiguo teneantur de pretio maiori, vel minori.

IN Rure dicto Mugia Diæcesis Tridentinæ inueni duos Rusticos, quorum vnus prætendebat multum ab alio, qui se debitorem non negabat, sed tantùm minùs. Controuersia erat, quia venditor asserebat conuenisse prò quindecim, alter verò prò solùm decem, de quo contractu nulla extabat scriptura, neque testis aliquis dabatur prò veritate. Qui quindecim exigebat, volebat sibi statìm dari saltèm illud minus, ad quod se teneri emptor fatebatur, sed hoc minùs dare renuebat, nisi ei fieret totius solutionis quietantia, quam facere nolebat ipse plùs prætendens. Hinc interrogatus fui quid iudicarem esse agendum prò concordia horum diffidentium, præsertìm cùm plùs prætendens, videns se non posse recipere quantùm petebat, emptoris bona aliqua titulo compensationis præuentiuè occupasset, paratus iurare se contraxisse prò quindecim, altero similitèr parato iuramentum præstare, contractum fuisse prò decem.

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Mirum non est, quòd contrahentes interdùm de pretio non clarè conuenerint, vt contingint si v. g. vendens dicat volo quindecim, emens verò dicat sufficient tantùm decem, & in istis verbis sistant, vndè vendens putans fuisse acceptatam suam petitionem de quindecim, tradit rem emptori putanti tamen se posteà teneri soluere tantùm decem; ideòque post aliquot dies ex mala inuicèm intelligentia contentio intèr illos orta est, an prò quindecim, vel prò decem fiet contractus. In isto, vel huiusmodi euentu dico, posse duplici via procedi, nimirùm vel per Iudicis interpellationem, vel per Prudentis viri interpositionem. Hinc ad euitandas in Iudicio expensas ex vtraquè parte recursus habeatur ad mediantem æquè vtriusquè amicum; Debebit iste considerare, an valor rei, de qua facta fuit conuentio ex-

cedat

cedat prætensionem venditoris, vel an aliquo iusto pretio potuerit vendi iuxtà illud minus, quod non negatur conuentum; vndè quia pretium rerum vel est summum, vel est infimum, vel est medium, propterea in præsenti controuersia, credo esse dandum pretium medium, præsertìm stante æquali dispositione amborum ad præstandum iuramentum supèr proprio asserto, sicque non video, quòd non pòssint isti duo esse meliùs contenti in lite carente omni externa probatione etiam præsumptiua, nisi per iuramentum, quo præstito, per indè est acsì probatum esset; vndè cùm vterquè litigans paratus sit illud præstare, consequentèr probatio æqualitèr stabit tùm prò negante fuisse contractum prò plùs, tùm prò affirmante; ergò conclusio controuersiæ facienda est per æquas rationes mediam viam sequendo, idest medium pretium præbendo quoad quantitatem, quæ est in controuersia; & iuxtà hoc medium pretium poterit solùm stare compensatio. Cæterùm quia in controuersia non erat, fuisse contractum prò minùs, istud soluendum fuisset non obstante pendentia controuersiæ quoad plùs.

Responsio latè scripta.

2 Dubij præsentis licèt ad iuridicum examen remittenda esset eius decisio, nihilominùs pacis amore intèr duos cùm interrogatum me videam, vt meum proferam iudicium, hoc profero in hac mea consultatione conformitèr ad meam oretenùs datam responsionem.

Præmitto quod asserit Cyriacus in suis Controuersijs forensibus, *controuers. 5. num. 72.* nempè quòd probationes omnes regularitèr sunt Iudici arbitrariæ, & hoc clarè procedit in præsenti, in quo æquales hinc indè sint probationes ratione iuramenti ab vtraquè parte parata prò se præstare, nec aliæ haberi possunt nequè per coniecturas, seù præsumptiones, quæ fauere possint magìs vni quàm alteri iuranti. Menoch. *de arbitrar. casu 90.* & sicuti negatiua censetur probata quomodocunquè id fiat, dummodò ex eo animus Iudicis moueatur ad ità credendum, vt firmant Herculan. *de proband. negatiua, num. 314.* Didac. *lib. 2. variar. resolut. cap. 6. sub num. 4.* ibi *eam plenè probare debet eo modo, quo meliùs probari iure potest arbitrio Iudicis*; idem est quoquè afferen-

rendum de affirmatiua. Cùm igitur ex solo iuramento vtriusquè haberi possit probatio, sequitur stare probatum assertum cuiusquè æqualitèr parati iurare, vnus prò affirmatiua, alter prò negatiua, & vbi iuramentum habebitur, perindè erit ac si probatum esset, iuxta *text. in l. si possessor, ff. de iureiurand.* & tradit etiam Mascardus *in suis quæstionibus positis antè conclusiones de probationibus, quæst. 9. num. 2.* & Cyriac. *Controuersia 116. num. 9.* firmat idem, sicque animus iudicantis æquè mouebitur ad credendum ità esse proùt vterquè iurabit, vndè certa veritas non haberetur, sed versaretur in dubio, an vnus, vel neuter falsitatem admitteret, at in dubio facienda est interpretatio, & iudicandum prò exclusione falsitatis ex vtraquè parte. Socinus Iunior *conf. 61. num. 9. col. 2.* Honded. *conf. 109. num. 57. vol. 1.* & Farinac. *quæst. 153. num. 192. & 193.*

Quinimmò vt falsitas euitetur, facienda est omnis interpretatio etiam extranea, & adhibenda excessiua subtilitas. Cagnol. *in l. singularia, 15. num. 50. ff. si cert. petat.* Iason *conf. 153. num. 14. vol. 2.* Menoch. *conf. 422. num. 4. & 5.* Farinac. *vbi suprà, n. 198. & 199.* Bertaz. *conf. criminal. 61. num. 36.* & *consil. 140. num. 8.*

3 Dato posteà casu, quòd vterquè vel vnus iurauerit, vel verum, vel falsum iurauit: Si falsum, non potest cogi ad dandam hanc notam, quia nemo cogitur detegere propriam turpitudinem. Gloss. *in l. qui iurasse 26. §. 1. in verbo* acquisiti, *ff. de iureiuran.* Bart. *in l. 2. §. quod obseruari sub num. 32. C. de iureiurand.* Curtior Senior *in tract. de positionibus, num. 45.* & probatio non admittitur, & multò minùs extorquetur ab eo in ciuilibus, cuius periculum esset, nè detegeretur periurium. Bursat. *conf. 285. num. 1.* & nemo cogitur iurare, vel respondere supèr eo, in quo periurus detegi posset. Ofasc. *decis. 11. num. 3.* Surd. *decis. 196. num. 8.* Si autem verum iurauerit, non debet frustratoriè peti editio huius notæ, quia frustratorios actus lex non permittit, *l. aliquandò, 13. §. final. ff. ad Velleian.* & *l. hæc stipulatio, 14. §. diuus, ff. vt legat.* Mascard. *in verbo positio, conclusione, Quas positiones Iudex admittere debeat.*

4 Nunc prò resolutione difficultatis dico:

Primò: Id quod conceditur conuentum prò minùs est integrè soluendum, nec proptèr pendentiam controuersiæ circà plùs retardanda est præstatio eius, quod est minùs, quia in rebus diui-

duis maior præstatio illiquida retardare non debet solutionem minoris debiti liquidi, & non controuersi, vt per Farinacium *decis. 373. per totam*, & notat Cardin. de Luca *lib. 7. part. 2. de emptio. & vendit. discurs. 35. num. 2.*

5 *Secundò* dico, quòd stante æqualitate probationum vtriusquè partis vt in præsenti, seruanda erit etiam æqualitas in prolatione iudicij. Sic de Luca *de Iudic. discurs. 2. num. 30.* quarè illud plus, quod controuertitur erit diuidendum in partes æquales.

6 *Tertiò* dico, quod accepta titulo compensationis à plùs prætendente in casu nostro non possunt ab eo retineri vltrà medietatem iuxtà dicta numero antecedenti. Ratio est, quia non licet vti compensatione, si tantùm detur opinio probabilis æqualitèr prò vtraquè parte. Ità Andreas à Matre Dei *de iusti. & iure, tract. 13. de restit. cap. 1. punct. 19. §. 3. num. 319.* Vndè cùm in præsenti prò vtraquè parte habeatur sufficiens æqualis probatio per iuramentum quoad illud plùs ab vno negatum, at ab alio affirmatum deberi, consequentèr non potest titulo compensationis aliquid accipi prò illo, sed pacis amore extraiudicialitèr expedit illud æquè diuidere. Immò censeo sic esse faciendum, si in iudicio res esset decidenda.

INTERROGATIO XXXIX.

An puer possit esse Patrinus in Baptismo.

Contigit me esse in quodam Opido Pauentinæ Diæcesis ibique audiui fuisse in illius Parochiali Ecclesia sepulturæ traditum cadauer pueri, qui in absentia Parochi fuerat à Capellano Baptizatus vices supplente Patrini decem annorum adolescentulo. Mox vt hoc nouit Parochus voluit talem sepultum tamquàm non Baptizatum Ecclesiastico tumulo priuare. Obstabat nè hoc fieret iam sepulti parens, apud quem instabat Capellanus nè permitteret Parochum exhumare filium suum, nullam enim habebat id faciendi rationem, cùm potiùs teneretur ex vi sui Officij sepulturam dare in loco Sacro cuicunquè intrà suam Parochiam decedenti Baptizato; sed an validè subsistat Baptismus non adhibito Patrino adulto, fui interrogatus.

Respon-

Responsio oretenùs data cursim.

1 Certum est non posse intrà Ecclesiasticam sepulturam reponi non Baptizatum, proùt video id plenè sciri à Parocho casus nostri recusante relinquere in Ecclesiastica sepultura puerum, quem iudicat sinè Baptismo, vtpotè in eo non obseruatis singulis præscriptis ab Ecclesia prò conferendo ritè, & rectè Sacramento Baptismi, nempè non adhibito capaci adulto prò gerendo munere Patrini. Verùm quid ego censeam, & quid à Doctoribus sentiatur quoad vsum Patrini in actu administrationis Sacramenti Baptismi, signantèr prò casu nostro, dico non debere Parochum exhumare Baptizatum tamquàm non Baptizatum ob Patrini defectum, sicque tamquàm Infidelem Ecclesiasticæ sepulturæ incapacem, supposito fuisse cætera essentialia adhibita à Capellano, quamuis an sinè læthali culpa in hoc se gesserit possit dubitari. Relinquatur ergò in Sacro sepulchro puer iàm sepultus, & laudetur Parochus si rationes, ac fundamenta habeat ad probandam inualiditatem Baptismi coràm Patrino puero collati. Tamen plura veniunt notanda in præsenti, quæ fusiùs dabo in scriptis, præsertìm circà personam Capellani crediti ministrasse cum excommunicatione.

Responsio latè scripta.

2 In proposito casu stant aliqua fauore Capellani, & aliqua prò Parocho. Fauore Parochi facit, quòd absquè dubio intrà Ecclesiam nequeat sepulturæ tradi non Baptizatus, huiusmodi enim sepultura conceditur tantùm omni Christiano decedenti absquè excommunicatione, interdicto, aut crimine manifesto. Sic Parochus in casu nostro iudicabat non esse Christianum vtpotè non Baptizatum puerum, cui in suo Baptismo non adfuit Patrinus aptus ad hoc munus, quia erat tantùm decennis, proùt ipsi Parocho reuerso narratum fuit, & ipse Parochus in ea erat opinione, nullius valoris esse huiusmodi Baptisma; vel saltem quia Capellanus erat excommunicatus. Sed vide *infrà, num. 4.*

3 Sed si Patrinus non adhibeatur in Baptismo, an nullum reddatur Sacramentum; res est clara, quòd non, & sic sæpè obste-

trices Baptizant infantes, quos in partu noscunt periclitari diem vltimum terminare simùl cum primo, & tamen tunc nullus adest Patrinus, qui quamuis de substantia Baptismi non sit necessarius, requiritur tamen de Iure Ecclesiastico ità quòd si Parochus solemnitèr sinè Patrino Baptizaret, peccaret mortalitèr, quia contra Ecclesiæ præceptum in re graui se gereret. Ita docent Bauny *tract. 2. de Baptismo, in Epitome, vers. 13.* Dicastillus, & Palaus, quos refert, & sequitur Noster Antonius à Spir. Sanct. contrà Posseuinum *in Director. Confessarior. tract. 2. disp. 5. sect. 1.* At si Baptismus conferatur priuatìm, non est necesse vti Patrino, quia de hoc nullum datur præceptum, proùt est sententia communis contrà Zambranum, teste Nostro Antonio *loc. cit. num. 175.*

4 Igitur prò nostra Historia resoluenda duò sunt inquirenda: *Primum* est, an puer possit in Baptismo sufficere prò Patrino? *Secundum* est; an ligatus excommunicatione maiori possit validè Sacramentum conferre?

Ad *primum* respondetur affirmatiuè dummodò puer habeat vsum rationis, nàm in nullo Iuris capite id prohibetur. Sic tradunt Christophorus à S. Ioseph *verb. Baptismus, dub. 17. num. 2.* Quintanaduegñ. *de Baptismo, singulari, 24.* cum alijs communitèr, licèt aliqui velint requiri quatuordecim, vel ad minùs duodecim annorum ætas. Hinc quamuìs in conferendo Baptismo Capellanus adhibuerit puerum decem annorum, non habebat causam Parochus iudicandi non Baptizatum, ac proindè non sepeliendum puerum intrà Ecclesiam, à qua extrahi debeat, præsertìm quia vsus Patrini non spectat ad Sacramenti essentiam.

Ad *secundum* dico, excommunicationem maiorem, qualis est illa ex Clerici percussione contracta, priuare participatione actiua Sacramentorum. Ità docent omnes. Cæterùm prò casu nostro contrà Parochi opinionem stare potest, si Capellanus nondùm sit denunciatus excommunicatus, quia sic non perdidit iurisdictionem ex permissione Martini V. *in Extrauagan. ad vitanda scandala*, ideoque ritè, & validè potuit Baptismum conferre, & à se baptizatum in Sacro tumulo condere.

IN-

INTERROGATIO XL.

An Pater possit exhæredare filium, vel alium iam ab ipso institutum hæredem, aut alium sibi venientem ab intestato?

IN Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Nouocomensis dum per totum Aduentum faciebam Conciones, in vna ex istis qualitates extollens Charitatis, hanc quamdam Omnipotentiæ vim habere descripsi. Dictum meum multis probaueram rationibus, inter quas vnam protuli de hominis libertate, quæ ab alio homine impediri nequit iuxtà Legalem doctrinam nisi per Charitatem; nam filius à patre exhæredatus, exhæredationem cassat, si probet se ergà genitorem suum semper Charitatem, seù laudabilem exercuisse amorem. Assertum istud notauit quidam ex meis auditoribus, qui post Concionem accessit ad me, & interrogauit, an amicus Petri ab isto hæres institutus tamen posteà exhæredatus, possit nihilominus exhæredationem annullare, si probationes faciat se semper in bona amicitia cum Petro fuisse, immò & Charitatis officia ei præstitisse.

Responsio oretenùs data cursìm.

1 Certum est posse patrem hæreditate priuare filium suum si causam habeat, aliàs non. Quòd autem sinè causa filium exhæredare minimè possit, conuincitur, nàm quamuis Iure naturæ teneatur filio dare necessaria ad victum; nihilominus Leges Ciuiles statuerunt paterna hæreditate posse filium priuari varijs ex causis, quarum vna est si debitam reuerentiam, debitumque amorem, ergà suum genitorem non seruauerit; secùs si seruauit; sicque poterit filius parentis impedire libertatem, cum qua etiam in testamento illum exhæredauit proùt dicam in sequenti responsione.

Respon-

Responsio latè scripta.

2 Quia iure naturæ filij succedunt in bonis patrum suorum, vt constat ex *cap. si filius, & hæres*, propterea humanæ leges à quibus alitèr disponitur, vel sunt iniquæ, vel non sunt vsu receptæ. Tamen dantur varij casus, in quibus possunt patres filios hæreditate priuare, & dicti casus sunt quatuordecim, qui in Iure assignantur tanquam causæ, prò quibus, seù etiam prò illarum singula poterit pater filium suum exhæredare, vt habentur in *Authent. vt cùm, de appell.*

Prima causa est, si filius iniquus in patrem peccando mortaliter inijcit manus; secùs si id faciat in defensionem patriæ, aut propriam.

Secunda est, si à filio grauis contumelia dicatur patri, talis autem contumelia Iudicis arbitrio censenda erit grauis, vel non talis.

Tertia est, si filius patrem accusauit criminalitèr, exceptis criminibus Hæresis, Proditionis Reipublicæ, & Læsæ Maiestatis, quando prò talibus criminibus pater meretur mortem, vel perpetuum exilium, vel notabilem infamiam contrahit, & vel si non coactus, nec rogatus sit, testis fuerit in similibus causis, vel Procurator contrà parentem.

Quarta est, si filius fuerit incantator, aut maleficus, aut cum similibus communicationem habuerit.

Quinta est, si quocunquè modo patrem occidere quæsierit, v. g. veneno, quamuis non dederit.

Sexta est, si cognouit vxorem patris, vel eius vnicam concubinam, quam domi habebat, sciens esse talem.

Septima est, si fuit delator, aut denunciator in iudicio contrà patrem, & ideò fuit causa, vt plura damna senserit ipse pater.

Octaua est, si pater carceratus petijt à filio, vt fideiuberet in persona, vel debitis, & id facere nequit, ac recusauerit; hæc autem causa non habet locum in filiabus, quia *Authent. vt cùm, de appel. cognoscend. §. causas autem* expresse loquitur tantùm de masculis.

Nona est, si filius, vel filia impediuit nè pater faceret testamentum, vel factum reuocaret.

Decima est, si filia noluerit acceptare tempore opportuno dotem opportunam, seù aptam, ac sufficientem ad matrimonium, sed voluerit

luerit luxuriosè, & vt meretrix viuere, poterit à parente exhæredari, non tamen si etiam eius mater viuat luxuriosè.

Vndecima est, si filius noluerit curare patrem amentem, iste ad sanitatem restitutus poterit filium exhæredare.

Duodecima est, si filius noluerit liberare patrem captiuum.

Decimatertia est, si filius à Catholica Fide apostatauerit, poterit eius parens Catholicus illum priuare hæreditate.

Decimaquarta est, si filia nupserit seruo non libero; sed *circà hanc causam videantur quæ dixi in mea Arbore omnium opinionum Moralium, tom. 5. litera M. verbo Matrimonium, n.84.* etiam remissiuè.

Deniquè notandum est, quòd Filij ergà suos parentes semper obedientes, ac boni, atquè studiosi nequeunt exhæredari, adeoquè si fuerint exhæredati, seque probent semper parentes amanter tractasse, exhæredationem tollent.

3 Vt pater possit filium exhæredare debet habere causam, & ista sufficiet quamuis sit tantùm vna ex quatuordecim numero antecedenti assignatis.

4 Si post patratum à filio crimen profiteatur in Religione approbata, non potest à patre priuari hæreditate, nàm quælibet ingratitudo censetur deleta per professionem. Molina *de iusti. disp.* 176. *§. vlt.* & Gratian. *in Decret. cap. vlt.* 19. *quæst.* 3. & alij.

5 Si pater ex causa possit exhæredare, sed remittat iniuriam, non potest posteà vti ea causa ad exhæredandum; & hoc procedit etiam si tantùm tacitè fecit remissionem, quia taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cùm quis, ff. de rebus creditis*, & *cap. 2. de rescriptis*; censetur autem remittere iniuriam, si filium recipiat in sui amicitiam, & familiaritatem, vt tradit Noster P. Andreas à Matre Dei *in Cursu Theol. Moral. tom. 3. tract. 14. de contract. cap. 5. punct. 6. §. 2. num. 95.* cum pluribus à se relatis.

6 Quid verò sit dicendum de amico, qui alium sibi amicum constituerat suum hæredem, an possit istum exhæredare nulla habita causa, & à fortiori ex aliqua causa ex relatis, propter quas potest pater filium suum hæreditate priuare; & respondendum est affirmatiuè. Ratio est, quia quod conceditur patri circà filium suum est propter punitionem delicti ingratitudinis filij, seù vt frænum sit filio impositum prò cuius timore amanter, & reuerenter se gerat cum suo parente, ideòque facta exhæredatione filij illa non valebit, si filius probet se ergà patrem reuerentiam, amo-

amorem, ac charitatem exhibuisse, & sic Charitas vim habet impediendi in hoc casu libertatem patris, quamuis etiam *morte non finiatur voluntas fauore libertatis*, proùt dicitur in Iure.

7 Igitur Iura concedentia Patri posse filium exhæredare nihil iuuant amico, præsertim quia voluntas hominis est deambulatoria vsquè ad mortem ità quòd possit (si aliud non obstet) nolle semèl volitum. Hactenùs dicta de exhæredando filio non militant prò exhæredatione amici, aut alicuius venientis ab intestato, illis enim nulla datur lex concedens posse irritare priuationem hæreditatis ipsis constitutæ ab amico.

8 Et quia ista interrogatio fuit mihi facta occasione concionis, in qua Charitatis virtutem cum Deo, & hominibus efficacem laudans, verbis Diui Laurentij Iustiniani, vsus sum ad meum dictum comprobandum, & ea ille habet *tractatu 4. de Charitate*, *cap. 6. in lib. Lignum vitæ*, & sunt ista: *Charitas ligat Deum, & hominem, quia vinculum est. O Charitas quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit!* Et huic Diui Iustiniani sententiæ fauet Dei dictum ipsimet Moysi: *Dimitte me vt irascatur furor meus contrà eos*, idèst contra populum peccantem, & Riccardus cuicunquè nostrum loquitur: *Audis dimitte? & Deum teneri non dubites, nec aliundè nisi amoris fortitudine*. En quid amor, seù Charitas operetur, vndè dictus Laurentius Iustinianus loco citato consequentiam infert: *Si ergò contrà Deum fuisti fortis, multò magis contrà homines prævalebis*; propterea qui mihi præsentem fecit interrogationem putabat posse amici libertatem ligare ità quòd non potuerit eum hæreditate priuare, ad cuius consequutionem illum vocauerat.





IN-

INDEX RERVM.

A

B

C

Cha-

Con-

Depo-

Du-

Ex-

catio-

L

M

Mo-

Nego-



Q

R

Restitutio.

Retracto.

Retraho.

Reuocatio.

S

Sacerdos fictus.

Sacra-

TA-

T

***
**

Va-

V

FINIS.

